SYMBOLA DOCTORUM IENENSIS GYMNASII IN HONOREM GYMNASII ISENACENSIS COLLECTA

edidit

G. RICHTER.



JENAE 1894.

PROSTAT IN LIBRARIA UNIVERSITATIS G. NEUENHAHNI.

GYMNASIO CAROLO-FRIDERICIANO ISENACENSI
FIDEI EVANGELICAE ET OPTIMARUM ARTIUM
INTER THURINGIAE SCHOLAS INLUSTRI SEDI AC PRAESIDIO
TRIA SAECULA ET DIMIDIUM PROSPERE PERACTA
A. D. XV KAL. NOVEMB. A. MDCCCLXXXXIIII
RITE CELEBRANTI
VOTIS PIENTISSIMIS GRATULABUNDI
HUNC LIBELLUM DEDICANT
GYMNASII CAROLO-ALEXANDRINI IENENSIS
RECTOR ET CONLEGAE.

De corruptis quibusdam Senecae tragoediarum locis

disputavit

GVSTAVVS RICHTER.

Quemadmodum, ut est in proverbio, ad primos iuvat redire amores, sic etiam litterarum studia ineunte aetate suscepta annis ingravescentibus recolere et relictos quodammodo iterare cursus magnam habet delectationem. Id enim agentes non solum dulcis iuventae imaginem memoria revocamus, verum etiam quae olim effecisse scribendo et praestitisse nobis videbamur, ut annis ita usu et scientia provectiores iudicio et firmiore et subtiliore metimur.

Sic ego quoque hac sollemni scribendi opportunitate oblata scriptionis materiam ex ea litterarum parte sumendam duxi, in qua primis eruditae aetatis annis sedem ac domicilium studiorum aliquamdiu collocaveram, cum eis dedita opera me darem quaestionibus tractandis, quae de Senecae tragoediis tum ipsum denuo moveri coeperunt. In ea provincia cum per septuennium sedulo versatus essem, pro mutata vitae et scholasticorum munerum ratione, ad alia, quae magis ad ipsam puerorum institutionem et paedagogi officium pertinerent, me contuli studia, inprimis historica et paedagogica, quibus ita operam dedi, ut eis quoque quae scripta foras dedi et scholae et litteris pro mea parte prodesse cuperem. Neque tamen studia initio suscepta ita omittenda putavi, ut non ad ea quae in illa litterarum parte a viris doctis inventa et in lucem prolata viderem, animum intenderem et mea facere, quantum eius fieri posset, statuerem.

Tantum vero his superioribus decenniis philologorum opera et curis studia Annaeana perceperunt fructum, ut hodie non solum de singulis rectius iudicare liceat, sed in universa etiam quae de his tragoediis versatur quaestione novo quodam fundamento subsistere. Ac ne principes quidem antiquitatis investigatores hisce litteris laborem et studia conferre dedignati sunt. LEOPOLDUS DE RANKE peculiari commentatione de Senecae tragoediis disputavit (Abhandlungen und Versuche. Neue Sammlung. Hg. von Dove und Wiedemann. Lipsiae 1888). NICOLAVS MADVIGIVS, Danorum philologorum princeps, in adversariis criticis non paucos tragoediarum locos corruptos ingeniose emendavit. OTTO RIBBECKIVS in Historia Romanae Poesis de tragoediarum indole et ingenio, fontibus argumentis, compositione venuste et copiose exposuit. FRANCISCVS BVECHELER et VDALRICVS DE WILAMOVITZ, quanta pollent admirabilis ingenii et doctrinae vi, editionem tragoediarum a FRIDERICO LEONE eximia arte et doctrina elaboratam suis inventis auxerunt. Atque hic quidem cum ipsa editione tum observationibus criticis priori editionis volumine propositis et nova iecit harum quaestionum fundamenta et multos ad haec studia exemplo proposito excitavit. E quorum numero duo prae ceteris commemoro doctos iuvenes, quorum alter de Bonnensi, alter de Vindobonensi studiorum disciplina profectus, dico FR. LADEKIVM (De Octavia praetexta. In tertio dissertationum Vindobonensium volumine 1891) et G. NORDMEYERVM (de Octaviae fabula, Lipsiae. 1892) eodem fere tempore eam quae de Octaviae praetextae auctore et temporibus

conclamata versatur quaestio, tanta et doctrinae copia et artis prudentia tractavit, et meo quidem iudicio profligavit, ut non iam dubitari possit, quin vera sit sententia dudum a Bvechelero lata, ante Tacitum scriptam esse praetextam (Mus. Rhen. 27, 474). Quod quantum valeat ad corrigendas opiniones de auctore et temporibus Herculis Oetaei et eius qui post Senecae mortem tragoediarum corpus primus confecit et edidit prolatas, neminem in his quaestionibus versatum fallet. Praeterea alii haud pauci singulis commentationibus ad diversas quaestiones ad tragoedias spectantes explicandas plus minusve contulerunt, velut Birt, Grimm, Habrvcker, Hosivs, Melzer, Smith, Stravss, Tachav, Werner, alii. Quae omnia perpendere et penitus examinare cum pro crescentibus in dies et annos munerum negotiis non liceret, tamen vel hanc vel illam partem horis subsecivis raris illis quidem et longis saepe annorum intervallis intercurrentibus, accuratius disquisivi et, quae invenisse ipse mihi videbar, in scriniis condita seposui. Ex his opibus subinde vel auctis vel iterata meditatione emendatis non nulla virorum doctorum iudicio proponere hoc libello volui, id cum poeta lectorem benevolum rogans: 'si quid novisti rectius istis, candidus imperti, si non, his utere mecum.'

Caput I.

Quantum auctoritatis vulgari recensioni (A) tribuendum sit.

In Hercule Oetaeo Deianira amissum mariti amorem sibi reconciliare cupiens Centauri mandatorum memor, qui moriens sanguinem ex mortifero vulnere defluentem avolsa ungula exceptum mulieri tradiderat, amorem eo defigi posse addens, pallam illa sanie tinctam Herculi mittere statuit. Atque his verbis nutrici id negotii demandat, v. 535:

tu, quam meis admittit arcanis fides,
perge, ut nitentem virus in vestem datum
mentem per artus adeat et *tactu sinus*
intret medullas.

In his mirum est quod Deianira, cum arcanum virus et abdito loco reconditum adferri prius debeat, antequam vestis infici eo possit, non hoc ancillae mandat, sed ita loquitur, ac si eam iubeat negotium perficere ipsam. Sed aliter res procedit. Nutrix enim ubi rediit, et venenum se attulisse et pallam indicat (v. 563) et nunc demum de congerendo veneno pallaque ea peste inficienda admonet (v. 565). Quo fit ut mancum esse suspicari possis reginae sermonem, qualis traditus est talique forsitan sententia supplendum: 'perge [*atque pignus veneris arcano e loco Prome*] ut nitentem e. q. s. Cf. v. 485: 'est in remoto regiae sedis loco Arcana tacitus nostra defendens specus — — Illic amoris pignus Herculei latet.' Sed hoc in transcursu monitum volui.

Locum descripsi qualem F. Leo edidit, vulgarem textus lectionem secutus *tacto sinus*, i. e. vestis contactu. Nam in libris vulgatae recensionis quamquam vitiose scriptum est omnibus *tactus sinus*, tamen quin illud a vetere huius recensionis auctore scriptum fuerit recteque Gruteri coniectura restitutum, procul dubio est. At parum certa est haec scriptura, nam corporis tactu, non sinus venenum vesti additum arcanam vim expromit. Et alio ducunt vestigia scripturae in Etrusco libro traditae. In eo legi *tacitus mas* et Gronovius testatus est et H. Peter, qui qua ergo amicos fide est et liberalitate, totum codicem in meum et R. Peiperi usum olim exploravit eiusque scripturas diligentissime enotavit. Paulo aliter hunc locum se legisse affirmat F. Leo, qui lectione a Gronovio Petero aliisque ex eodem codice enotata operae suae adhibita librum praestantissimum tanta cura et subtilitate denuo excussit, ut recte spondere posset, si quis eundem codicem rursus aditurus esset, non multa ab ipso neglecta eum inventurum esse. Id quod confirmare possum experimento facto. Quem enim rogavi, ut nonnullorum locorum scripturas, de quibus aliqua dubitatio etiamtum relicta esse videri posset, multasque lectiones contra Peteri silentium traditas, denuo in ipso codice inspiceret, Joannem Tschiedelium, virum doctum et in codicibus explorandis versatissimum, is verum

vidisse Leonem testatus est praeter haec pauca: Hoc de quo disputatio est loco Leo enotavit '*tactus mas* corruptelae signo addito' se legisse, Tschiedelius retulit scriptum esse: *tacitus mās.* Troad. vv. 449. 450 (sed fessus — obtectus coma) in Etrusco desiderari H. Peter significavit, F. Leo utrumque praebet in contextu neque quidquam de eis in apparatu critico addidit. Tschiedelii testimonio constat, utrumque re vera deesse in E. Eadem in fabula v. 987 formam codex praebet Vlixen (*non* Vlixem), Med. 510 ne veniat (Leo *in textu:* non veniat; *in apparatu dicit:* 'ne *in E esse Bothius (e Jac. Gronovii schedis) refert. nihil enotavi'.*), Phaed. 409 educos (Leo: et lucus), HO. 1643: reclini (Leo: reclinis). Hac occasione data non possum silentio praeterire, nostra olim culpa factum esse, ut Peteri opera examinando codici insumpta minus diligens Leoni videretur, quam par erat. Ille enim tantum praestitit, quantum pro rei et temporis ratione praestari poterat ab homine et religiosissimo et artis peritissimo. Cuius acumen quod non nulla fugerunt, nemo harum rerum peritus mirabitur. Nobis autem vel Gronovianis erroribus deceptis vel lectiones Farnabiano quo Peter usus est exemplari pessime impresso in summis marginum vel spatiorum angustiis minutissimis litteris et lineolis adpictas perperam non numquam interpretantibus quomodo evenerit, ut haud pauca ab illo recte enotata parum accurate redderemus, fusius explicare non attinet.

Sed redeo ad propositum. De genuinae autem scripturae vestigiis quoniam nunc constat, nescio an haec elicienda sit vetus lectio:

mentem per artus adeat et *tacitum means*
intret medullas.

Cf. Med. 836: meet in pectus venasque calor. Luc. III, 649: Discursusque animae diversa in membra meantis.

Hoc igitur loco F. Leo ut vulgarem lectionem in textum recepit, neglecta meliore, sic aliis locis vulgarem prae Etrusca immerito sprevisse dicendus est.

Exemplum dabo ad id quod hac disputatione sequor apprime aptum, Troad. v. 503 sq. Sed antequam de scripturae differentia verba faciam, vitium quoddam in dispositione versuum proxime antecedentium (v. 487—497) etiam post Leonis curas relictum emendare liceat. Quorum ordo quamquam a Leone (I, 217 sq.) in universum egregie restitutus est, uno tamen incommodo adhuc laborat. Senex enim, cum quo Andromache de filiolo in tutum locum abscondendo deliberat, dicit, hanc unam rem multos ab interitu arcuisse, ut periisse crederentur. Cui cum Andromache respondet nullam spem relictam esse, quoniam magnae nobilitatis pondere Hectoris filius prematur, nihil aliud dicit quam hoc: Non credent illum periisse, quoniam tantae nobilitatis est. At hoc absurdum est, nam 'aequa tellus pauperi recluditur regumque pueris'. Sed alius est huius disputationis locus, cui optime illud argumentum conveniat. Regina dicit v. 494: Pone, puerum ad tempus tuto latuisse, tamen postmodum in manus hostium veniet; quam dubitationem ita senex tollere studet, ut primos tantummodo hostis impetus timendos esse dicat; primo furori ubi satisfactum fuerit, mitiorem illum fore. Ad hanc sententiam refellendam apte a regina nobilitas pueri opponitur. Idem sentit, quod Vlixes fatetur v. 529:

sollicita Danaos pacis incertae fides
semper tenebit, semper a tergo timor
respicere coget arma nec poni sinet,
dum Phrygibus animos natus eversis dabit.

quoniam 'generosa in ortus semina exurgunt suos.' Reliqua recte Leo disposuit, nisi quod v. 492 parum concinne inter Andromacham et senem divisit. Quae si recte disputata sunt, versuum dispositio in universum a Leone recte constituta sic erit postremis versibus emendanda:

487. Sudor per artus frigidus totos cadit:
488. Omen tremesco misera feralis loci.
497. S. Miser occupat praesidia, securus legat.
496. A. Quid quod latere sine metu magno nequit?
492. S. Ne prodat aliquis, amove testes doli.
493. A. Si quaeret hostis? S. Vrbe in eversa perit.
489. Haec causa multos una ab interitu arcuit:
490. Credi perisse. A. Vix spei quicquam est super:
494. Quid proderit latuisse redituro in manus?
495. S. Victor feroces impetus primos habet.
491. A. Grave pondus illum magna nobilitas premit. —

Nihilo deinde setius anxia mater, quia praeclusis omnibus fugae itineribus nihil aliud sibi reliquum esse videt, tumulo puerum condere animum inducit, id demum solatii captans, ut ab ipso Hectore opem et tutelam quaerat:

Quis feret trepidis opem?
Quis proteget? qui semper, etiamnum tuos,
Hector, tuere: coniugis furtum piae
Serva et fideli cinere victurum excipe.

Quibus tum verbis puerum iubet tumulo accedere, ea sic scripta sunt in Leonis editione (cf. I, 2):

Succede tumulo, nate — quid retro fugis
tutasque latebras spernis? agnosco indolem:
pudet timere.

In E traditum est inepte *turrisque*, in A *turpesque;* quod Leo scripsit *tutasque*, ex codice Ambrosiano quodam (illi M nuncupato) sumpsit, quem primus inspexit et examinavit, et cum Vaticano quodam (N) item ab eo excusso ex uno eodemque Etrusci apographo (Σ) nunc deperdito fluxisse docuit. Eundem codicem eo quidem tempore confectum esse, antequam Etruscus ipse correctorem illum passus sit, quem vulgares scripturas hic illic margini intulisse, genuinas non nullas erasisse constat, argumentis, ut mihi quidem videtur, certissimis demonstravit (I, 6—15); hoc tamen nego, quod idem statuit, ubicumque prima manus Etrusci perierit, codices M et N certos nos habere pristinae lectionis testes. Nam ut omittam persaepe illos inter se dissentire, etiam ubi consentiunt, quamquam veram praebent veteris apographi imaginem, tamen multum abest, ut ea ubique pro genuina Etrusci lectione haberi possit. Nam, ut idem Leo docuit, apographum illud Etrusci collatum fuit cum interpolatae recensionis exemplari, e quo variam lectionem corrector vel adnotavit vel in ipsum textum recepit. Veteris autem illius apographi deperditi quae hodie supersunt duo apographa (M et N), varia lectione a correctore veteri libro adscripta diverse usi sunt. Quam, ut Leonem referentem faciam ipsum (p. 7) 'vel alter, vel uterque in verborum contextum recepit marginive variae lectionis loco adpinxit, vel denique utramque scripturam coniunxere variaeve partem tantum recepere', id quod luculentis exemplis deinceps illustratur. Quae cum ita sint, horum codicum scripturis non inutili quidem, sed lubrico utique utimur praesidio neque tantum ex his opibus tragoediarum emendatio percepit fructum, quantum ipse earum inventor et subtilis interpres percipi posse speravit. Sed, ut revertar ad propositum, fateor me nescire, quibus argumentis nisus F. Leo scripturam *tutasque* codicis M pro vera et pristina vendiderit. In E est *turrisque*;

quid in vetere fuerit eius apographo, non liquet, nam de codicis N scriptura nihil adnotatur, unde eam vel *turrisque* quod est in E, vel *turpesque* quod est in A fuisse concludas. Illud si verum est, sic etiam fuit in E scriptum; sin hoc, ex varia lectione in hoc codice adscripta librarius sumpsit. Vtcumque res se habet, hoc certum est, lectionem a Leone in textum receptam non redire ad vetustam auctoritatem. Neque est quod a tradito antiquitus lectionis fundamento recedamus. Recte enim vidit Aem. Baehrens (Misc. crit. p. 11), in archetypo vetere accusativi forma scriptum fuisse *turpis* et sic interpretandam esse Andromachae quaestionem: 'Quid tu latebras tamquam tibi turpes vultu aversaris?', quod illustrari versibus insequentibus, in quibus mater suae ipsius rogationi respondeat. Malim tamen dividi matris quaestionem et una litterula expulsa sic legi: 'quid retro fugis? Turpes*ne* latebras spernis?' Iam vero eo perveni, ut vulgari lectionis recensioni plus auctoritatis tribuendam esse, quam Leo concessit, certis argumentis mihi demonstrandum sit. Sed antea moneo, emendatam et genuinam huius recensionis lectionem me intellegere solam, non illam posteriorum librariorum erroribus depravatam, quam in editionibus et nostra et Leonis eadem littera A significari moleste fero. Cuius depravatae lectionis textum quanti esset momenti, novis subsidiis rectius quam antea constitui, Rvdolphvs Peiper monuit et qua id via et ratione fieri posset, subtiliter docuit libello 'De Senecae tragoediarum lectione vulgata', Vratislaviae 1893 edito.

Ac Leo I, 4 sic statuit, 'ne in eis quidem quae corrupte Etruscus praebeat, ullam esse vulgaris lectionis auctoritatem. Etrusci igitur corruptelas utique emendandas, nusquam recipiendas esse interpolatoris coniecturas (dicere debebat: lectiones, quoniam non de coniecturis tantum hoc fert iudicium), nisi aut verum ab illo inventum esse — id quod perraro accidit nec saepe contingere potuit ei qui veritatis simulacrum quoddam, non veritatem sectaretur — aut Etrusci scripturam post interpolatoris operam vitium traxisse certa ratione constiterit;' id quod fieri potuisse ita probat, ut librum Etruscum non ex ipso, quo interpolator usus sit, libro descriptum, sed 'per multas librariorum manus' propagatum esse statuat. At huic opinioni obstat, quod Etruscum codicem e libro uncialibus exarato non distinctis inter se contextus verbis descriptum esse certissimis indiciis patet (cf. Leo 1,8 sq.) Quare si non ex ipso archetypo fluxit — quamquam ne hoc statuamus nulla re prohibemur —, tamen quin ex libro vetustissimo et illius aetati proximo transscriptus sit, minime dubium est. Quidni igitur negemus, fieri potuisse, ut interpolatae recensionis auctor, quem multa rectius quam E scripta praebere Leo ipse lectionibus eius sexcentis locis in textum receptis testatur, non nulla quae in archetypo erant et legeret et scriberet rectius? Quod cum per se verisimile est, tum factum esse revera demonstratur f o l i i s illis p a l i m p s e s t i s A m b r o s i a n i s, quorum uberrimam Gvilelmvs Stvdemvnd nobis largitus est cognitionem (Leo II p. XV sqq.). Quae cum antea non potuerint aestimari nisi paucis illis lectionibus, quae F. Ritschelivs 'festinante calamo' olim enotaverat, (Parerg. Plaut. I, 305 sq.), talibus quidem, ut cum vulgari recensione plerumque consentire viderentur, nunc tamen ipso fragmentorum apographo publici iuris facto (Leo II p. XX. sqq.) de vera eorum natura non potest amplius dubitari. Ac Studemund ipse rectissime statuit, multo ea propius ad E accedere quam ad A recensionem. 'Nam, ut ait, aut omnia fallunt, aut R e x e o d e m a r c h e t y p o d e r i v a t u s e s t e x q u o E, cum quo codice et bonas lectiones multas et falsas non paucas communes habet etiam eis locis, ubi recensio A ab RE discrepat.' Hoc verum esse ex hoc lectionum conspectu apparebit. Atque his locis unus R veram praebet scripturam:

R:	Med. 220	eripuit exilio	EA eripuit et exilio
	256	quippe quem	A quippe te, E quippe
	267	cui feminae (*lit.* e *incerta*) nequitia	EA cui feminea neq.
	Oed. 422	inde iam molles (*Studemund: littera quinta non videtur T fuisse.*)	EA i. tam m.
	O. 427	Gangen	EA Gangem

Consensum cum E praebet R his locis. In veris:

M. 240	primum	A primus
252	violentus	„ violenter
266	tu tu	„ sed tu
267	audenda (*sed E² ex*: audende)	„ audendum
268	robur virile est (lit. e *incerta*)	„ virile robur *om.* est
740	comprecor	„ vos precor
O. 398	regnorum nefas	„ regnorum est nefas
428	Araxen	„ Araxem
510	exprome	„ expone
523	ulla	„ nulla
538	bacas	„ baccis
544	ramos	„ ramis

Consensus RE in falsis:

M. 213 durescunt — A dulcescunt, recte. cf. Plin. N. H. 4,79 de Istro: in XL milia passuum longitudinis vinci mare dulcemque intellegi haustum, 6,51: Scytharum populi — haustum ipsius maris dulcem esse et Alexander Magnus prodidit,

219	rabida	A rapida
248	dextra (*litt.* e x a *incertae*)	„ dextrae
698	ophiucus	„ ophiuchus
701	manus	„ manu
O. 404	armatus *(sic etiam Thuaneus)*	„ armate, (*unde Peiper restituit:* armate et)
423	fluuidumque	„ fluidumque
516	est	„ et

Aliis nec paucis locis R cum A consentire idem Studemund recte dixit, id quod hic conspectus docet:

Consensus R A in veris:

M. 226	Graeciae florem	E gloriae florem
233	ducum taceo ducem	„ ducem t. ducum
700	python	„ phyton
731	gramina ac	„ *om.* ac
736	his gelida	„ dis g.
744	ixion	„ oxyon
O. 402	populare	„ pupolare
411	erebi	„ herebi
417	revocare	„ renovare

426 vasta — E' *corr. ex:* veste
508 formosi — E formonsi
517 sanari — „ sanare
521 mitteris — „ mittes
536 fessa — „ spissa. Non dubito quin fessa radix pro fracta vel putrida poetico colore recte dictum sit.

Consensus RA in falsis:

M. 204 hoc caput (*litt.* oc, ut *inc.*) — E hoc putet
241 fraglanti (A flagranti) — „ flammanti

Ex his duabus lectionibus, ubi errores RA communes habent, prior ad rem nihil facit, nam hoc vitium non ad genuinum interpolatoris textum redire certissimum est. Natum est ex posterioris cuiusdam librarii errore. Et talis est error, ut plus semel a diversis committi potuerit. Fac in archetypo scriptum fuisse HOC PVT≡, ultimis litteris detersis vel paulo oblitteratis, fieri facillime potuit, ut librarius legere sibi videretur HOC(CA)PVT. De altero loco infra videbimus. Iam poteris diiudicare, quid de R et A consensu necessario statuendum sit. Hoc enim certum est, *nullam lectionem interpolatae recensionis vere propriam in fragmentorum lectionibus extare* praeter unam illam; nec minus certum, communes R et A lectiones tantum non omnes eiusmodi esse, ut quin sic in archetypo scriptae fuerint nihil causae sit, quod dubitemus. Quare non possum Studemundo assentiri, qui illum consensum non aliter censet explicari posse, quam ex varia quadam lectione ex codice interpolatae recensionis archetypo in eum librum, unde E et R fluxerunt, translata. Imo statuendum erit, consensum lectionis Ambrosianae cum A nihil aliud esse, quam *utriusque cum archetypo consensum.* Quare quoniam R et A illis locis paene omnibus lectiones praebent emendatiores libro Etrusco, et R et A rectius eas et legisse et scripsisse quam E pro certo et explorato habendum est. Fieri potuisse, ut aliquot lectiones ex interpolata recensione in illum librum, quem communem codicum R et E fontem fuisse verisimile est, non negaverim, sed hoc nego, huic opinioni satis praesidii esse paratum in una illa lectione, quae in singulari errore utrumque librum consentientem habet, neque tamen eiusmodi est, ut non possit alio quodam casu nata esse. Errant igitur si qui dicunt, in foliis illis rescriptis utriusque recensionis scripturas coniunctas inveniri. (Sic Ladek l. c. p. 1).

Vnum adhuc consulto omisi locum (Med. 249), quo R magis cum A quam cum E facere videatur, re vera ita comparatum, ut lectionem ab R traditam non ex interpolatae recensionis codice, sed ex ipso archetypo fluxisse appareat.

Medea orat Creontem, ne in exilium sola eiciatur sedesque sibi qualiscunque in ipso eius regno concedatur. Eius verba sic tradit R: terram ac miseris angulum et sedem rogo latebrasque viles etc. E: terram miseriis ang. ac s. rogo e. q. s. A: terra hac miseriis angulum et s. r.

Patet in archetypo fuisse:

terram (R E) ac (R, hac A) miseriis (E A) angulum et (R A) s. r.

levi mendo affectum, quod A sustulit scribens:

terra hac miseriis angulum et s. r.

sine dubio recte; in tuo scilicet regno, non in alieno. Quod cur spreverit Leo, postquam de rescripti lectione constitit, non assequor. Neque quod ipse de coniectura in contextum recepit: *iterum* m. ang. ac s. r. satis convenit sententiae, nam latebras viles mulier nunc primum expetit.

Consensu inter A et R conspicuo magnum sane paratur praesidium auctoritati veteris interpolatoris. Cuius interpolationes ut simpliciter sunt expellendae, sic ceterae eius lectiones, ubicumque ab E discedunt, ad textum constituendum diligenter sunt adhibendae. Nam quod eis locis de quibus disputavimus factum esse evincitur rescripti codicis testimonio, rectius scilicet haud pauca interpolatorem legisse et in suum librum transscripsisse, quam eum qui codicem E vel eius archetypum aliquod exaravit, idem aliis locis, ubi tali testimonio destituti sumus, fieri potuisse cur praefracte negemus? Quamquam fateor et in hoc Leoni assentior, in vulgari lectione adhibenda summa cautione opus esse, ne interpolatoris artificio et sollertia decipiaris. Multa scilicet nitent et primo obtutu Etruscae lectioni praestare videntur, quae accuratius rem examinanti damnanda sunt. Nam interpolatae recensionis differentia quamquam hodie quoque dubito an eis etiam locis, ubi totae sententiae aliter leguntur neque tamen ulla mutatae consulto lectionis ratio perspici possit, non ad dittographiam potius antiquitus traditam quam ad meram interpolatoris libidinem revocanda sit, tamen hoc in nulla versatur dubitatione, quin totum tragoediarum corpus eo consilio ab auctore recensionis R pertractatum sit et perpolitum, ut legentibus textum proponeret non tam genuinum et verum, quam facilem intellectu et rotundum. Neque adduci possum, ut eorum sententiae assentiar, si qui noviciorum criticorum parem utrique recensioni auctoritatem vindicandam esse censeant. (Velut P. Meltzer in commentatione de Hercule Oetaeo Annaeana Chemnitii 1890 edita). Nam interpolatoris lectiones quisquis paulo accuratius examinaverit, quanta ille in immutanda ad ludibrium lectione audacia et libidine versatus sit, non sine admiratione quadam intelleget.

Nec sane difficile est in eis quae singularia sunt et conspicua, correctoris audaciam cognoscere, sed saepe est, ubi occultior eius sedulitas lectorem parum vigilantem fugiat. Sed diligentius eius industriam observantes et quasi custodientes non fallet, dedita opera hoc eum secutum esse, ut elocutionis et structurae difficultates et exquisitiores elegantias removeret, id prae ceteris agens, ut facile et commode tragoedias lecturi intellegerent. Sic, ut pauca commemorem, tmesin sustulit Med. 605 sq. conspicuam (rumpe nec sacro violente sancta foedera mundi, *pro qua scripsit:* r. n. sancti violente mundi foedera sacra), item constructionem vel collocationem verborum elegantiorem (hypallagen Hf. 475. 1270 M. 570. Tro. 159. 251 etc., chiasmum Hf. 470. 1270, hyperbaton Hf. 769, geminationem Hf. 523 M. 266 Tro. 739); exquisitas loquendi vel construendi formulas facilioribus compensavit, velut Hf. 24 scripsit: in cuius ortu mundus impendit diem *pro:* ortus, 213 nec ulla requies tempus aut ullum datur *pro:* vacat; 370 sociemur animos *pro:* sociemur animis, 438 caelitum penetrat domos *pro:* sperat, 916 nobiles Dirces aquas *pro:* nobilis Dircen aquae, 1157 exurge, victor *pro:* virtus, O. 538 amara baccis *pro:* a. bacas, 544 (arbor) diffusa ramis *pro:* ramos, Tr. 547 post annos decem *pro:* p. hiemes decem, alia eiusdem generis innumera, quae si quis accuratius persequi volet, fructu non carebit.

Quae cum ita sint, multo sane simplicius cederet opera tragoediarum recensionis et emendationis, si prorsus abiici et nihili pendi fas esset interpolatoris lectiones. Sed quoniam certum est, non pauca verius ab eo esse ex communi fonte reddita quam in altera recensione extant, eundemque constat, etsi nonnumquam veterem lectionem tanta violentia immutaverit, ut ne volam quidem ac vestigium eius relinqueret, alia mutasse quidem, sed ita mutasse, ut quid in archetypo legerit, cognosci etiam possit, multa denique intacta reliquisse: de adhibenda vulgari lectione sic equidem statuo, ut unoquoque loco, ubi non certa ratione de interpolatione constiterit, archetypi imaginem ex utriusque recensionis lectione collata refi-

ciendam esse, eis autem locis, ubi levis extet lectionis differentia et ita comparata, ut utraque metro et sententiae convenire videatur, eam censeam esse praeferendam, quae subtili examinatione adhibita verior et ipso poeta dignior existimanda sit. Atque F. Leo, qui in universum et recensoris et emendatoris officio egregie functus est, nonnumquam tamen immerito vulgaris lectionis taedio ductus in lectione constituenda errasse videtur. Id quod paucis exemplis, sed ad rem appositis nunc demonstrabo.

In loco conclamato Herculis Oetaei v. 1459, quem F. Leo certa ratione emendasse sibi visus est (I, 30), Hercules ab Hyllo filio edoctus, matrem morte voluntaria poenas dedisse sceleris quod inscia et Centauri dolo decepta in maritum admiserit, haec effatur:

Recte dolor es (*sic* E, Caeci dolores A): manibus irati Herculis
occidere meruit; perdidit comitem Lichas.
saevire in ipsum corpus exanime impetus
atque ira cogit.

Apparet aegre ferre Herculem Deianiram voluntaria morte peremptam, idque verbis illis expressum fuisse, quae corrupte sunt tradita. Quae F. Leo, lectionis vulgaris ratione non habita, ex vestigiis lectionis ab E traditae sic restituenda censuit: Re*li*cte dolor es e. q. s. Sic dici latine posse non nego et demonstravit Leo exemplis ex ipsis his tragoediis petitis. Tamen quod ferendum esset, si de poetae verbis constaret, idem non ita facile toleramus a coniectura profectum. Nam aptissime quidem Medea loco a Leone allato (v. 139) dolorem suum loqui iubet. Mira autem Herculis deceptum et doloris fructu fraudatum se sentientis ipsius doloris appellatio. Nec minus mirus relictus dolor decepti loco. Atque Herculem, mulieris fraude atrociter se perire credentem, gravissimam sceleris ultionem avide et impatienter exposcentem, ubi certior fit de ultione quam sumpturum se esse speraverat irrita facta, nihil prius sentire consentaneum est, nisi hoc, a muliere quae viva dolo ac fraude ipsum pessumdederit, ab eadem vel moribunda se esse deceptum. Quare non tam doloris, quam doli mentionem facere putandus est. Quod reputans et traditam in utraque recensione lectionem perpendens, non ita diversam, ut non possit ad communem referri fontem, sic mihi persuadeo antiquitus scriptum fuisse:

ceci*dit* dolo*s*e: manibus irati Herculis
occidere debuit.

ceci pro rect legi a librario oscitante et saepe aliud agente, qualis in hac potissimum fabula toties deprehenditur (Leo I, 4), facile potuisse patet et pro recte accipi proximis litteris detersis vel vitio praecedentis scribae omissis. Interpolator vera vitii sede non indagata correctoris officio, hoc quidem loco satis modeste, ita functus est, ut scriberet: caeci dolores. —

Troad. v. 8—14. In fabulae exordio Hecuba quam fragili loco stent superbi, suam ipsius et Troiae fortunam maximo docet esse documento. Occidisse eversum pollentis Asiae columen, ipsa divorum ope et labore olim extructum:

ad cuius arma venit et quae (qui A) frigidum
septena Tanain ora pandentem bibit
et qui renatum primis (prorsus A) excipiens diem
tepidum rubenti Tigrin inmiscet freto
et quae vagos vicina prospiciens Scythas
ripam catervis Ponticam viduis ferit,
excisa ferro est, Pergamum incubuit sibi.

Quae quo voluerit poeta periodi ordine decurrere, difficile est dictu. Id tamen patet, tria illa enuntiata relativa duplici modo coniungi posse cum orationis contextu. Aut obtinent locum attributorum sententiae antecedenti additorum, ut dictum esse statuatur: occidisse Troiam, eversum esse columen Asiae, quamvis Amazones et Aurorae filius opem ei tulerint, et propria tum sententia additum sit: Troiam ferro esse excisam, Pergamum sibi incubuisse; aut membra illa relativa prodosin efficiunt, quibus v. 14 ut apodosis respondeat: Illa Troia, cui laboranti potentissimi socii aderant, nihilominus excisa est. Hanc tamen construendi rationem ne sequamur prohibemur eo, quod, ut recte Leo monuit (I, 209), sic *excisa ferro est* nihil habet quo referatur. Gronovius alteram, quam dixi periodi construendae rationem amplexus, distinctione finali post v. 13 posita, sequentem versum conformavit talem:

Excisa ferro est Pergamum, incubuit sibi.

Neque tamen potuit probare, ut Ilium sic etiam Pergamum modo neutro modo feminino genere usurpatum fuisse. Quod quamquam fieri omnino potuisse quominus neges nulla ratio obstat, scilicit ut Pergamum cum feminino attributo coniungeretur eadem synesi (urbe vel arce suppleta), qua totiens Ilion cum feminino poetae coniunxerunt, ut exempla docent ab Heinsio (ad Ov. Her. I, 48) aliisque collecta, tamen factum esse exemplis probari nequit, et Seneca Ag. 421 habet: Pergamum omne. Hoc igitur apparet, locum de quo disputamus, sic ut traditus est, ad sanam structuram redigi non posse.

Verum a forma orationis ad ipsas res animum advertamus. Ac Penthesileam, Amazonum reginam, ita significari Leo observavit, quasi diversae personae inferrentur. Id pro aperto interpolationis indicio habens, alteram commemorationem ex orationis contextu semovit. Cui ea non parvi ponderis commendatio accedit, quod sublatis illis versibus nihil iam obstat, quominus in apodosi (v. 14) subiecti loco intellegamus Troiae notionem. Tamen ne festinantius in Leonis sententiam abeamus cavendum est, quem vereor ne hic quoque nimium vulgatae lectionis fastidium in errorem induxerit. Legitur autem in libris interpolatae recensionis v. 8: 'ad cuius arma venit et *qui* frigidum septena Tanain ora pandentem bibit', ut non Amazonum reginae, sed Rhesi Thracum regis eiusque auxiliorum significatio fiat. Nam quod Tanai hoc versu tribuitur quod Istri est, ut per septem ora in mare defluat, id iam veteres tragoediarum commentatores solito poetae errore factum esse intellexerunt, Istrum cum Tanai confundentis. Nat. quaest. VI, 7, 1: 'Danubius — Sarmaticos impetus cohibens et Europam Asiamque disterminans.' Hac autem lectione recepta de duobus quae indicavimus vitiis alterum tollitur, restat alterum. Ad quod sanandum non tamen ferro opus est, sed levior medela adhibenda. Versibus enim quos interpolatos esse affirmat Leo, non demonstrat, pristino loco, unde casu deturbati sunt, restitutis omnis offensio mihi quidem videtur tolli posse, ut haec sit emendatae orationis imago:

8 ad cuius arma venit et qui frigidum
septena Tanain ora pandentem bibit,
12 et quae vagos vicina prospiciens Scythas
13 ripam catervis Ponticam viduis ferit,
10 et qui renatum primus excipiens diem
11 tepidum rubenti Tigrin inmiscet freto:
14 excisa ferro est, Pergamum incubuit sibi.

Quid autem est quod sic merito vituperari possit? Non iam bis ab Hecuba commemorantur Amazonum auxilia, sed Rhesi, Memnonis, Penthesileae inter se diversa neque hoc versuum ordine quicquam obstat, quominus v. 14 Troia intellegatur. Neque illud laudandum, quod Leo versus

expulit, nulla rerum et sententiae difficultate suspectos, imo eleganter sermone et numeris confictos, tales reliquit, quos duplici vitio ipse contaminatos putat, illos dico de Memnone dictos:

et qui renatum primus excipiens diem
tepidum rubenti Tigrin inmiscet freto.

quorum duas ob rationes alterum dicit ineptissimum: ʻprimum Tigrin mari rubro excipi audimus — quod ferimus si cogimur; dein Assyrios ipsos flumen mari inmiscere, quale nemo umquam dixit.' Quamquam ne haec quidem recte vituperavit. Nam rubri maris appellationem de sinu Persico vel etiam toto illo mari Indico in usu antiquitus fuisse satis nota res est. Audias e. g. Herodotum VI. 20: *βασιλεὺς, — κατοίκισε ἐπὶ τῇ Ἐρυθρῇ καλουμένῃ θαλάσσῃ ἐν Ἄμπῃ πόλι, παρ' ἣν Τίγρης ποταμὸς παραρρέων εἰς θάλασσαν ἐξίει.* Neque alterum erat quod infelici coniectura (*mero*, omissa recte in editione) tentaret. Non enim video cur recte quidem a poetis dicantur homines flumen aliquod bibere qui sunt eius accolae, inepte tamen et inaudite flumen mari inmiscere qui in regionibus ostio fluminis vicinis habitant.

Hoc postremo animadvertendum duxi, periodum quam in ordinem redegimus tragici poetae, simili numero defluere, quo ea quam Horatius effinxit epod. 16. Vbi ut antecedit sententia principalis, suis et ipsam ruere Romam viribus, sequitur subtilior sententiae divisio, periodo a multipartita prodosi relativa ineunte et exeunte in apodosin demonstrativam (Quem neque finitimi valuerunt perdere Marsi, nec — neque — Impia perdemus devoti sanguinis aetas e. q. s.), sic in Hecubae de Troiae excidio declamatione antecedit summa sententiae: columen Asiae cecidit, sequitur periodus ita conformata, ut praemissam prodosin relativam tripartitam excipiat principalis sententiae variata repetitio.

Addo brevem de proximis versibus disputationem, in quibus recensendis et ipsis Leo Etruscae scripturae nimium tribuisse videtur. Hoc dicit Hecuba excisae urbis imaginem depingens:

v. 15 en alta muri decora congestis iacent
tectis adusti.

Sic cum Florentino Leo edidit, id parvipendens, lapideos muros non posse incendio deleri; lapidea autem poeta cogitavit moenia, non lignea, ut veteris Athenarum arcis, ubique ex suae aetatis moribus et institutis heroicorum temporum et res et homines effingens. Recensio A hoc quoque loco vestigium veri retinet, quae *congesti* pro *congestis* praebet et: tectis adus*tis*. Nempe aedificia ligneis trabibus exstructa incendio deleta sunt (cf. v. 1085 semusta — tecta), moenia tantummodo diruta vel disiecta, ut non dubitem quin verum sit quod Peiperus mecum communicavit:

en alta muri decora *disiecti* iacent
tectis adus*tis*.

Agam. 545. Aiax vel Minervae fulmine percussus et rate igne discisso, exitio tamen adhuc se eripiens, fluctibus pectore divisis, ardentem complexus navem furibunda voce exclamat:

superasse nunc pelagus atque ignes iuvat

sic E una syllaba omissa, quam sic explet A:

superasse nunc *se* p. a. i. iuvat

voluit nisi fallor ʻ*me*', nam illud non quadrare ad directam orationem sane corrector vidit. Leo scripsit de coniectura: superasse *iuvit,* de Wilamovitz: s. *novi,* discrimine inter id quod superatum est ab Aiace et futurum est ut superetur, non satis claro. Testium consensu *nunc* in archetypo fuisse constat, in quo post hoc verbum ut vestigium quoddam fuisse

omissae a librario voculae censeam, lectione recensionis A adducor. Verum procul dubio est:

superasse nunc *en* pelagus atque ignes iuvat,

quod aliis verbis proximo versu, ut moris est huic poetae, variatur et amplificatur:

'vicisse caelum Palladem, fulmen mare.'

Breviter moneo v. 534 huius descriptionis scribendum esse:

vela cogentem hunc sua
tento rudente flamma praestrinxit (codd: *perstr.*) cadens.

Nam altero demum fulmine a Pallade librato percutitur (v. 535—537).

Transeo ad locum non solum vulgaris lectionis ope emendandum, sed etiam vetusto additamento liberandum.

Agam. 474—87. In descriptione tempestatis Graecorum classi Troia redeuntium a Pallade inmissae haec sunt Eurybatis verba:

undique incumbunt simul
rapiuntque pelagus infimum everso polo
adversus Euro Zephyrus et Boreae Notus.

Quod scripsi v. 475 scriptura est Etrusci codicis, absurda nimirum, cui ita succurrit F. Leo, ut scribendum censeat: 'infimum *venti* polo', quasi non paulo ante v. 471 dixerit poeta: 'in astra pontus tollitur', et delendum v. 476, cui non convenire cum sequentibus affirmat. Fastidivit immerito scripturam vulgatae recensionis 'infimo eversum solo', aptam sane et emendatam; Cf. Verg. Aen. II, 419: 'imo Nereus ciet aequora fundo' et Sen. Phaed. 958, ubi cum Peipero scribendum est: fluctusque ab imo (ipsos E) tumidus Oceano voca. Neque erat quod ventorum catalogum in suspicionem vocaret, quem ex Homero (E 295 sq.) sumpsit poeta (*Συν δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἔπεσε Ζέφυρός τε δυσαὴς καὶ Βορέας αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων*), iam alibi ab eo expressum Nat. Quaest. V., 16: 'Vna Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis Africus.' Non quidem in eo offendit Leo, ut ipse dicit p. 382, quod in sequenti tempestatis descriptione Notus et Eurus iterum, sed quod ita nominentur (481, 482), quasi nunc demum ventis reliquis accedant. Vidit sane vir acutissimus, difficultate aliqua laborare poetae descriptionem, sed quae sedes esset operti scopuli non perspexit. Ea autem est descriptionis ratio, ut ventorum in pelago deproeliantium certamine breviter indicato (v. 476), quae vis singulorum sit et potestas accuratius deinceps depingatur. Aquilonem scilicet, sic vocat quem Boream supra dixerat, nives contorquere, Austrum (est Notus modo dictus) Syrtium harenas concitare (harenas agit et Syrtes ἓν διὰ δυοῖν, non probanda Gronovii explicatio nimis artificiosa) eundemque contractis imbribus maris undas augere (Verg. Aen. V, 696: Turbidus imber aqua densisque nigerrimus austris. Quem versum Lucanus respexit V, 608), Eurum orientem movere, Corum denique (est Zephyrus supra nominatus) Atlanteo oceano caput exerere. cf. Hf. 594 de Phoebo: inlustre latis exeris terris caput; et Lucani locum infra allatum). Haec omnia recte procedunt praeter v. 481, quem consulto adhuc omisi. Vide autem quam moleste et inficete descriptionem defoedet! Postquam dictum est Austrum Libycum harenas ac Syrtes egisse, pergitur:

nec manet in Austro, fit gravis nimbis Notus,
imbre auget undas.

Quid, quaeso, significatur non manere in Austro? Maris dominium aiunt qui quaslibet ineptias aequo animo ferunt et pro sanis interpretantur. At non penes unum

ventum erat maris dominium, de quo omnes nimirum decertant. Ac porro quis novus inducitur ventus, ad quem cessisse putandum sit maris dominium? An Notus? Nescit igitur ineptus interpolator et doctrinae veterum incuriosus, eundem hunc esse atque Austrum, et quattuor tantum ventos cardinales discerni? Potuit discere ex Suetonio in Prato veterum de ventis doctrinam complectente (Reifferscheid p. 228 sqq.): 'Tertius ventorum Auster plagae meridianae cardinalis, qui et Notus —.' Quatuor ventos supra nominatos etiam Seneca ipse versibus recenset loco oonsimili Nat. quaest. V, 16: 'Venti quatuor sunt in ortum occasum meridiem septentrionemque divisi. ceteri quod variis nominibus adpellamus his applicantur:

Eurus ad Auroram Nabataeaque regna recessit (cf. Agam. 483 sq. Eurus orientem movet Nabataea quatiens regna et Eoos sinus) Persidaque et radiis iuga subdita matutinis. Vesper et occiduo quae litora sole tepescunt proxima sunt Zephyris. Scythiam septemque triones horrifer evasit Boreas: contraria tellus nubibus adsiduis pluvioque madescit ab Austro e. q. s.' Ad rem quoque facit Lucanus, tragici versus in suum usum convertens Phars. V, 598 s. q:

Inde ruunt toto concita pericula mundo:
Primus ab oceano caput exseris Atlanteo
Core movens aestus: iam te tollente furebat
600 Pontus et in scopulos totas erexerat iras
Occurrit gelido Boreas —
603 Sed Scythici vicit rabies Aquilonis et undas
Torsit et abstrusas penitus vada fugit arenas
605 Nec perfert pontum Boreas ad saxa suumque
In fluctus Cori frangit mare —
608 Non Euri cessisse minas: non imbribus atrum
Aeolii iacuisse Notum sub carcere saxi
610 Crediderim: cunctos solita de parte ruentis
Defendisse suas violento turbine terras e. q. s.

Versu igitur 481 ineptiarum plenissimo (nam et fieri Notum imbris gravidum absurdum esse Leo perspexit) e contextu descriptionis remoto et v. 475 A recensionis ope emendato hoc unum restat, ut v. quoque 485 cum A *revelli* (E *revellit,* id quod nimium est de uno vento dictum) scribamus, sublata plena quam post h. v. Leo posuit interpunctione. Iam nihil restat, quod in tempestatis descriptione vividis coloribus expressa merito vituperes:

undique incumbunt simul
rapiuntque pelagus infimo eversum solo
adversus Euro Zephyrus et Boreae Notus:
sua quisque mittit tela et infesti fretum
emoliuntur, turbo convolvit mare:
Strymonius altas Aquilo contorquet nives
480 Libycusque harenas Auster ac Syrtes agit.
482 imbre auget undas, Eurus orientem movet
Nabataea quatiens regna et Eoos sinus.
Quid rabidus ora Corus oceano exerens?
485 mundum revelli sedibus totum suis
ipsosque rupto crederes caelo deos
decidere et atrum rebus induci chaos.

Caput II.

Varia corruptelae genera exemplis illustrantur. A. De lacunis.

De codicum auctoritate quid statuendum esset quaerentibus sponte contigit, ut in tales etiam corruptelas incideremus quarum emendatio non tam codicum ope quam recta deliberatione inveniri posset. Praecipua autem depravatae lectionis genera praeter meras verborum corruptelas in his tragoediis dudum intellecta sunt cum versuum iactura vel turbatus ordo, tum aliena additamenta vel librariorum errore in textum inlapsa vel dedita interpolatorum opera genuinis admixta. Talium vitiorum emendationes nonnullas nunc propositurus hanc tamen mihi legem scripsi, ut traditum versuum ordinem non mutarem nisi ubi certa ratiocinatione eum turbatum esse effici posse videretur, ut nihil e versuum contextu removerem nisi quod stare nullo modo posse idoneis argumentis evictum esset, ut orationis partem aliquam intercidisse non statuerem, nisi, Leonis in ea re exemplum secutus, sententia in exemplum suppleta ostendere possem certum aliquid desiderari. Ac tribus quae sequentur capitibus exempla dabo primum lacunosae orationis suppletae, tum turbati versuum ordinis restituti, postremo verborum emendationis, quae tamen non ita secerni et separari omnia potuerunt, ut non diversa vitia in eodem loco deprehensa non numquam simul emendanda essent.

Atque in prologo Herculis furentis Iuno procedit odio furibunda, querelas agens de iniuriis ab Iovis paelicibus totiens sibi illatis. Caelo depulsam illis earumque filiis locum se dedisse. Quorum inviso grege perlustrato sic pergit v. 19:

Sed vetera sero querimur: una me dira ac fera
Thebana tellus nuribus sparsa impiis
Quotiens novercam fecit.

Sic versum 19 utriusque recensionis libri exhibent, legitimo ambitu uno pede ampliorem. Sequentem prosodiaco vitio laborantem unus sic praebet codex praestantissimus, interpolati libri talem:

Thebana nuribus sparsa tellus impiis,

sublato quidem illo quod notavimus vitio, sed recto verborum ordine perturbato. Ac priorem versum critici inde a noviciis Italorum correctoribus usque ad novissimum tragoediarum editorem in ordinem redegerunt expuncta *sero* particula.

Ac particulam recte deleri tum constaret, si ferri eam hoc loco non posse, certis argumentis evinci posset. Id contendit Tork. Baden, 'nam vetera,' inquit, 'numquam non sero querimur.' Quo argumento nihil effecit. Nam hoc ipsum dea dicit, seras i. e. inanes esse de rebus ante actis querelas. Idem est ac si dixisset: 'Sed vetera frustra querimur.' Vix est quod hunc loquendi usum exemplis confirmem, sed pauca dabo ex magna copia. Plaut. Capt. 870: 'Abi, stultus: sero post tempus venis' i. e. frustra. Ter. Heautont. 344: 'Age modo: hodie sero et nequicquam voles'. Illustratur prius adverbium posteriore. Eodem sensu adiectivum usurpatur. Sic seras querelas et inrita iurgia iuxta ponit Vergilius Aen. X, 94: 'Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis Haud iustis adsurgis et inrita iurgia iactas.' Cf. Sen. Med. 198: Vox constituto sera decreto venit. Phaed. 594: Magna pars sceleris mei Olim

peracta est, serus est nobis pudor. Oed. 103: Quid sera mortis vota nunc demens facis? — Alia infra addam. —

Hoc igitur patet, nullam esse in ipsa particula offensionem. At aliunde gravis exurgit dubitatio. Etenim deam cum dicentem audimus, vetera se frustra queri, necessaria eo dirigitur cogitatio, ut expectemus, veteribus illis iniuriis et debitae poenae elapsis oppositum iri novas quasdam ultioni et vindictae etiamtum aptas. At fallit opinio. Nam reflectens ad Thebanas paelices inanes querelas iterare primum videtur, dum post octo demum versuum ambages edocemur, has scilicet Thebanas iniurias non iterum inultas esse mansuras. Quod quamquam ferri et intellegi iterata lectione aliquo modo potest, tamen meliore olim sententiarum decursu sermonem fluxisse manifesta extant vestigia. Tradita enim scriptura cum nihil habeat, quo facile possis carere, ipsa autem careat membro ad sententiam complendam necessario, quid magis in promptu est, quam ut excidisse quaedam suspicemur et versum traditum ex duorum fragmentis consutum esse putemus? Aut omnia me fallunt aut tale quid scripsit poeta:

Sed vetera sero querimur; [*haec etiam nova*
Inulta patimur?] Vna me dira ac fera e. q. s.

Iam orationis membra commode se excipiunt: 'Missa faciam inutilem de veteribus iniuriis querelam. Has tamen quas nunc ipsum patior non relinquam inultas, praesertim cum ab illa urbe proficiscantur, quae tot tantasque mihi inussit contumelias. Et si non prohibere possum quin Alcmena meum in caelo locum teneat et invisus eius filius astra occupet promissa, non tamen inulta abibunt odia mea et dolores.'

Et quo magis placeat supplementum a nobis propositum, ad hos, quaeso, animum advertas locos consimilem in modum compositos. Audias Venerem de Caesaris nece coram divis sic conquerentem (Ovid. Metam. XV, 774): 'Quid nunc *antiqua* recordor Damna mei generis? Timor *hic* (i. e. praesens, novus) meminisse priora Non sinit'. Ipsam Iunonem huius fabulae v. 63:

levia sed nimium queror:
Caelo timendum est.

Item Hecubam (Troad. 41):

Sed quid ruinas urbis eversae gemis,
Vivax senectus? respice infelix ad hos
Luctus *recentes*: Troia iam *vetus* est malum.

Porro Medeam (Med. 48): levia memoravi nimis: Haec virgo feci; gravior exurgat dolor: Maiora iam me scelera post partus decent.

Conferas denique haec quoque: Phaed. 594: magna pars sceleris mei Olim peracta est, *serus* est nobis pudor. Med. 398: regias egone ut faces *Inulta patiar*? ibid. 26: querelas verbaque incassum sero? Herc. Oet. 282: Non ibo inulta: gesseris caelum licet Totusque pacem debeat mundus tibi, Est aliquid hydra peius: iratae dolor Nuptae.

Causam omissorum hemistichiorum homoioteleuton praebuit (queri*mur*, pati*mur*). Sic de his versibus (HO 1416): 'vindicem saltem pre*cor* Servate terris. abeat excussus do*lor*' alterum omisit is qui codicem E exaravit, ibid. de versibus 361. 362, quorum uterque in vocem 'amat' desinit, posteriorem. Phoen. 515: de his: '*nate* post multos mihi Remisse soles, *nate* suspensae metus Et spes parentis' prius orationis membrum idem librarius neglegens praetermisit. — Alia eiusdem generis praesto sunt haud pauca.

Sed locum de quo haec est disputatio nondum expedivimus. Graviorem medelam ei adhibendam ratus scripsit R. Peiper: 'Vna me *Dirce* fera Quotiens novercam fecit!' sublato e contextu versu 20 ut spurio. Quod quamquam haud inscite excogitatum est, neque eo refutatur quod Madvigius (Advers. crit. II, 111 n. 2) obloquitur, sensu coniecturae perperam intellecto, tamen probari nullo modo potest. Quid enim in traditis verbis est quod tam gravis corruptelae suspicionem moveat? Erat cum ipse coniciebam scribendum esse: Vna me *culpae ferax* Thebana t. e. q. s. Sed puto ferri posse traditam scripturam, etsi non admodum arridet. Dira tellus Thebana Iunoni vocatur ut infesta et perniciosa, ut Harpyias diram gentem Aeneas dicit (Verg. Aen. III, 235), dirum Hannibalem Hor. c. III, 6, 36, diram novercam Ov. Her. XII, 188. Dirum vel ferum omne appellatur quicquid vel infestum vel funestum ac fatale est. cf. v. 30: 'quicquid horridum tellus creat Inimica, quicquid pontus aut aer tulit Terribile dirum pestilens atrox ferum'. Troad. 981: Quis tam impotens ac durus (dirus?) et iniquae ferus Sortitor urnae. Ibid. 1056: 'O dura fata, saeva miseranda horrida. Quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus Mars vidit annis?' Quidni Thebae prae ceteris Graeciae urbibus Iunoni fatales apte sic appellentur? Multo minus est in proximo versu praeter prosodiacum vitium supra significatum, quod iustam praebeat offensionis materiam. Illud autem quin recte ab Aem. Baehrens (Miscellanea critica p. 34 n. 1) sublatum sit addita post 'nuribus' *a* particula, Iunonis dolori apprime apta, nullus dubito. Nihil praeterea displicet, neque sententia neque translata oratio. Tellurem nuribus impiis sparsam i. e. occupatam dicit poeta, ut Herc. Oet. v. 18: Sparsit peremptus aureum serpens nemus. Similiter dicitur Aurora novo spargere lumine terras (Verg. Aen. IV, 584) i. e. perfundere vel occupare, vel orta dies summos spargere lumine montes (ibid. XII, 113). — Nurus dici quaslibet mulieres non est quod moneam. cf. Phoen. 576 (virgo) Thebana nuribus munus Argolicis eat? Med. 76 Cecropias nurus. Ag. 194 Phrygiae nurus. De Thebanarum impietate cf. etiam Herc. fur. v. 386: Thebana novi regna: quid matres loquar passas et ausas scelera? Vbi Agaven, Inoa, Nioben, Dircen significat. Apparet tellurem, quae tales tulit feminas cum Antiopis, Semelis, Alcmenis, mulieribus impiis quasi sparsam vel occupatam ab irata dea non modo apte sed etiam exquisite et proprie dici.

Adscribo totum locum in ordinem redactum:

Sed vetera sero querimur. [*haec etiam nova*
Inulta patimur?] una me dira ac fera
Thebana tellus nuribus [*a*] sparsa impiis
Quotiens novercam fecit.

Gravioribus laborat corruptelis Deianirae narratio in Hercule Oetaeo de perniciosa Nessei sanguinis vi, quam missa ad Herculem palla funesto quodam omine se deprehendisse nutrici refert (v. 716 sqq.):

Vt missa palla est tabe Nessea illita
thalamisque maerens intuli gressum meis,
nescio quid animus timuit et fraudem struit.
libet experiri.

Absonum est reginam dicere fraudem strui a suo ipsius animo. Non ipsa fraudem struit, sed ne fraudis aliquid insit in Centauri dono veretur. Quod cum perspiceret Leo, supplendam

censuit sententiam tali fere additamento: 'nescio quid animus timuit. [*an moriens viro Poenas parat Centaurus*] et fraudem struit?' Faciliore remedio mendum tolli posse R. Peiper mecum communicavit hoc: 'nescio quid animus horret. *an* fraudem struit? Nimirum Centaurus. Sed in eis quae sequuntur orationem mancam esse pro certo habeo. Deianira animo malum praesagiente et Centauri monitis iam diffidente experimentum facere statuit: 'Libet experiri, solibus dirus (*codd.* virus, *correxit* de Wilamovitz) ferum Flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit: Hic ipse fraudes esse praemonuit dolus'. His igitur versibus causam significat suspicionis animo obortae et indicat viam experimenti: ipsa sanguinis particulam igni aliquo modo obiciet. Quod quomodo perfecerit, exponit sequentibus versibus, in codice Etrusco sic traditis:

et forte, nulla nube respersus iubar,
laxabat ardens fervidum Titan diem,
vix ora solvi patitur etiam nunc timor.
medios in ignes solis eiceram facem
quo tincta fuerat palla vestisque inlita
abiectus horret sanguis et Phoebi comam
tepefactus astris vix quoque est monstrum elocor.

Primum igitur indicat quo tempore factum sit quod est narratura, in qua re is qui hanc tragoediae partem elaboravit, non concinit cum auctore superioris actus. Sed hanc quaestionem hic explicare non est in animo. Palla igitur media nocte veneno infecta, primo diluculo ad Herculem missa est. Dum regina in thalamum redit, morientis semiferi monitorum memor et de experimento faciendo cogitans, tum ipsum primi orientis solis radii effulgent. Quae deinde narrat, satis perplexa sunt et obscura. Videtur autem hoc dicere, sanguinem, quo vestis marito missa tincta erat, in medios solis ignes abiectum horruisse. At non potuit ille sanguis, quem palla imbiberat, posthac in ignes abici. Neque sanguis horrens quid sit, intellego, antequam edoctus ero, quam rem ipso sanguine significari poeta voluerit. Denique miror, id in quo ipsa experimenti vis inest, sanguis ut flammis exponeretur, non disertis verbis dictum esse. Accedunt vocabula aperte corrupta.

Iam videamus numquid e vulgatae recensionis scriptura lucis his tenebris oboriatur. Ac polite primo obtutu hic omnia decurrere videntur:

medios in ignes solis *et claram* facem,
quo tincta f. p. v. i.,
abiectus horret sanguis et Phoebi coma
tepefactus *ardet.* vix *queo* monstrum elo*qui.*

Atque illud *et claram facem* cum traditis in E litteris convenit tum confirmari videtur exemplari eo, ad quod Herculis Oetaei auctor hunc locum magna ex parte conformavit, Sophocleo in Trachiniis, ubi Deianira (v. 695) haec narrat:

τὸ γὰρ κάταγμα τυγχάνω ῥίψασά πως
τῆς οἰός, ᾧ προὔχριον, ἐς μέσην φλόγα,
ἀκτῖν' ἐς ἡλιῶτιν.

Sed caveas ne veri quadam specie decipiaris. Nam ut omittam, locum Sophoclis in suspicionem interpolationis merito vocatum esse, facem non pro radiis solis accipi posse recte D. Heinsius monuit. 'Aliud est nempe fax, aliud radius. Solis fax in caelo manet, radii in terra quoque sparguntur.' Neque hac scriptura ulla earum quas supra dixi movendas esse

dubitationum solvitur. Sed locus e Trachiniis allatus aliam monstrat emendationis viam. Hic enim aperte dicitur, quid tandem fuerit illud, quod humi proiecerit regina. Nam *κάταγμα* quod hic memorat, id v. 674 clare indicat *οἰὸς πόκον*, i. e. particulam velleris ovilli. Simili autem re in hac fabula reginam usam esse in experimento instituendo, ab ipso poeta docemur. Nam regina postquam narravit, illud humi proiectum horruisse et tepefactum in aliam abiisse formam, imaginibus ex rerum natura petitis rem sic illustrat:

nives ut Eurus solvit aut tepidus Notus e. q. s.
sic l a n g u e t o m n e v e l l u s et perdit comas.

Habes igitur velleris vel lanae Sophocleae commemorationem, quam supra desiderari iam Gronovius recte monuit. Cuius mentionem cum ita vir doctissimus censeret inferri posse verbis poetae, ut scriberetur: 'abiectus horret sanguis, *ut* Phoebi *glomum* Tepefecit *ardor*' neque sententiae satisfecit neque sermoni. Nam ne sic quidem ulla lanae aut velleris significatio, nulla sanguinis vocabulo lux affusa, neque video quid monstri insit in glomo solis ardore tepefacto. Rectam viam ingressus est F. Leo, qui rem desideratam induxit hac coniectura:

medios in ignes *vellus eieci madens*
quo tincta fueret p. v. ill.

Quae tamen coniectura ideo displicet, quod verbum tollit non suspectum (*solis*) et significatione caret eius rei quo sententia relativa referatur. Quare, si quid video, non aliter laboranti sententiae subveniri poterit, nisi addito unius versus supplemento, in quo velleris proiecti et Nessea tabe tincti mentionem factam esse statuas, velut talis:

medios in ignes solis eieci *pavens*
[*de pecude lanam, tinctam eodem sanguine*]
quo tincta fuerat palla vestisque inlita.

Cogitavi etiam de hac scriptura non tam litteris quam sententiae convenientissima:

medios in ignes solis *experiens dolum*
[*proicio vellus tinctum eo s.*]

(v. 719 libet experiri), reieci tamen ut licito audaciorem. Sed longe difficiliora restant. Nam quid lanam illam vel villum experimenti causa humi ab regina proiectum et solis radiis expositum (hac autem re differt huius fabulae auctor a Sophocle, ut consulto factum esse fingat, quod casu fit in tragoedia Graeca) evasisse, in quam tandem abiisse formam putabimus? Et quoniam bis a poeta vidimus huic quaestioni responsum esse, praeter hunc nimirum locum etiam v. 735 sq. supra memorato, et ita quidem, ut quod priore loco corrupte et obscure, id altero clare et emendate proferatur, sequitur, ut alter adhibendus sit ad priorem emendandum. Quodsi in E scriptum videmus '*comam*' (A '*coma*') facile adducimur ut credamus verbum regens aliquo modo intercidisse. Sic deliberanti suspicio mihi venit scriptum fuisse hoc loco idem quod infra legimus: *perdit* comam. Haec autem vocis imago (PERDIT) detersis vel omissis paucis litteris (PEDI) facile potuit abire in dei nomen (FEBI, PHEBI). Cui coniecturae si quis ita volet obloqui, ut dicat non deberi iteratam eiusdem rei iisdem verbis mentionem poetae inferri, ei respondebo, stilo scriptoris ob molestas verborum et rerum repetitiones vituperatissimi hoc ipsum apprime convenire. Iam vero recta ratiocinatione si verum assecutus sum, sequitur etiam vocabulum *sanguis* stare non posse. Quod cum aegre patiamur pro lana sanguine tincta proferri, tamen comam perdere dici nullo modo ferendum est. Vereor, ut sit e glossa ortum infra superiora verba (*tincta fuerat*) subscripta, quae

per errorem in textum recepta genuinum verbum expulisse putanda sit. Scripsit poeta, nisi fallor:

abiectus horret *villus* et *perdit* comam (vel: abiect*um* inhorret vellus)

Sequitur versus omnium corruptissimus:

tepefactus astris vix quoque est monstrun elocor

ab interpolatore ita aliquo modo resartus magis quam reparatus:

tepefactus ardet, vix queo monstrum eloqui.

At certissimum est, non arsisse vellus, sed novo quodam et inaudito modo defecisse et interiisse, ut v. 735 sqq. diserte docent. Ac Trachinias consulentes his Sophoclem miraculum verbis expressisse legimus, bis quidem et illum; primo loco v. 674 sqq.: *ᾧ γὰρ τὸν — πέπλον — ἔχριον — οἰὸς πόκῳ, τοῦτ' ἠφάνισται διάβορον πρὸς οὐδενὸς τῶν ἐκτός, ἀλλ' ἐδεστὸν ἐξ αὑτοῦ φθίνει καὶ ψῇ κατ' ἄκρας σπιλάδος*, altero v. 697: *ὡς δ' ἐθάλπετο, ῥεῖ πᾶν ἄδηλον καὶ κατέψηκται χθονί, μορφῇ μάλιστ' εἰκαστὸν ὥστε πρίονος ἐκβρώματ' ἂν βλέψειας ἐν τομῇ ξύλου. τοιόνδε κεῖται προπετές· ἐκ δὲ γῆς, ὅθεν προὔκειτ', ἀναζέουσι θρομβώδεις ἀφροί* (v. 737 quin ipsa tellus spumeos motus agit). Huc igitur miraculum redit apud Sophoclem, ut lana in locum solis igne collustratum abiecta diffluat tota nescio quo modo et quasi in pulverem comminuta evanescat. Non flamma consumitur, sed occulta quadam vi corrosa disperit. Ac tale quid corruptis Etruscae lectionis litteris subesse necessario statuendum est. Quod quale fuerit nemo adhuc assecutus est. Peiper scripsit: *tepefactus arsit* (cui coniecturae Leo favere videtur), *vix queo monstrum eloqui;* alterum versus hemistichium sic emendare voluit Kaibelius: *vix quod est monstrum elocor*, Leo sic: *Tumque (vix monstrum eloquor)* quae cum sequentibus coniunxit. Neque ego verum me invenisse mihi persuadeo. Tamen ad viam emendationis indicandam propono quod tentavi apposita uncialibus litteris Etrusci scriptura:

TEPEFACTVS ASTRIS VIX QVOQVE EST MONSTRVM ELECOR

tepet ac senescit vixque adest: monstrum elocor.

Eleganti translatione senescere dicuntur quae languescunt vel deficiunt. Ne lexicorum opes expilem praeter Octaviae locum v. 391 (de aethere: qui si senescit), unam affero Domitiani imperatoris vocem (apud Suet. Dom. 18): forti animo fero comam in adulescentia senescentem.

Iam totum appono locum, non penitus quidem emendatum, sed nescio an paulo quam adhuc editus legitur, emendatiorem.

Vt missa palla est tabe Nessea illita
thalamisque maerens intuli gressum meis.
nescio quid animus timuit. *an* fraudem struit?
libet experiri. solibus *d*irus ferum
flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit:
hic ipse fraudes esse praemonuit dolus.
et forte, nulla nube respersus iubar.
laxabat ardens fervidum Titan diem.
vix ora solvi patitur etiam nunc timor —
medios in ignes solis *eieci pavens*
[*de pecude lanam, tinctam eodem sanguine*]
quo tincta fuerat palla vestisque inlita:
abiectus horret *villus* et *perdit* comam.
tepe*t* ac *se*nesc*it* vixqu*e* *ad*est: monstrum elocor.

Nonnullos addo locos, ubi sermonem lacunosum esse coniectura non certa quidem, sed probabili statuere mihi videor. Medea ubi consilium caedis liberorum perpetrandae v. 923 sq. hisce verbis expressit:

ultimum, agnosco, scelus
animo parandum est — liberi quondam mei,
vos pro paternis sceleribus poenas date

ilico tamen exhorrescit sceleris animo concepti atrocitatem; maternus affectus repellit iram et nefandae ultionis cogitationem, iubet longe abesse a matre dirum et inauditum facinus (926—932). Carere innocentes liberos culpa et crimine. Sed, ut fit animo variorum affectuum certamine conturbato, scrupuli dubitationes modo abiectae redeunt. Quid? Absyrtus frater, quem ipsa quondam trucidavit, nonne innocens fuit et ipse? Titubat animus, anceps aestus modo huc modo illuc incertam rapit. Iterum misericordia et pietas materna vincit: 'ira pietatem fugat Iramque pietas — cede pietati, dolor!' Sic animo mitigata advocat ad se pueros, in supremis eorum amplexibus solamen quaesitura. At quomodo superabit ipsius valedictionis dolorem? Nonne ipso discessu et divortio instante ira in auctores nefandi fugae imperii novis aculeis aegram spretae mulieris animam mordebit? Quare quae dicit: 'habeat incolumes pater, dum et mater habeat' ita videntur proferenda esse, ut priora dubitationem denuo motam significent, quod fit interrogationis signo post ea posito: 'habeat incolumes pater?' et increscente dolore acerbum addat responsum: 'habeat, dummodo et mater habeat incolumes.' Iam supplenda est sententia: At non habebit incolumes, sed decreta mihi exilii poena eos amisi. Quam excidisse, quamquam certe demonstrari nequit, tamen verisimile est. Exemplum propono:

dum et mater habeat. *[at matri eripuit pater*
dum exilia iussit]: urguet exilium ac fuga.
iam iam meo rapientur avulsi e sinu
flentes gementes osculis — pereant patri,
periere matri.

Pater amittat, quoniam ego amisi; patri, non mihi peribunt. Quod tamen si ita statuit et decernit, cur statim pergit:

rursus increscit dolor
et fervet odium — ira qua ducis sequor?

Praeit nempe increscens dolor, quem sequitur iteratum facinoris consilium et facinus ipsum. Quare quae antecedunt, titubantis sunt et ultionis consilium revolvere denuo incohantis. Primum dubitat, an aequum et iustum sit, moderate agere cum patre tanta immanitate matrem a liberis quos ipsa peperit divellente. Talis desideratur sententia, qua dubitatio ista exprimatur. Evadet cum scripseris:

flentes gementes osculis — *parcam* patri?
periere matri.

vel etiam: *red*eant (vel) *man*eant patri?

An patri parcam? patri incolumes reddam liberos? ei, qui effecit, ut mihi perirent? Hoc iam dicit propenso ad facinus perpetrandum animo, sed necdum penitus firmato. Gradatio doloris brevi rem perficit:

rursus increscit dolor
et fervet odium, repetit invitam manum
antiqua Erinis: ira qua ducis sequor.

Quod poeta v. 950 Medeam pueros facit *osculis* gementes, multos offendit. Leo intactum reliquit. Recte opinor, nam pueros inter fletus et gemitus oscula matri dantes significat.

HO. 1220 sqq. corrupte sic legitur in codicibus:

sanguinis quondam capax
tumidi *iecur* pulmonis arentes fibras
distendit, ardet felle siccato *iecur*
totumque lentus sanguinem avexit vapor.

N. Heinsius adv. p. 275 v. 1221 sic voluit scribi: *tumidi cor en,* quod in peius convertit Rossbachius scribens: *tumidumque cor*, quo fit ut attributum pulmoni aptissimum inde inepte transferatur ad cor ignibus ardens. Desideratur autem flammarum significatio, quae nunc pro sanguinis venis pectus occupant. Hoc sensisse videtur F. Leo, qui coniecit: *tumet igne cor,* p. a. f. Sed vereor, ut quicquam flammis correptum tumeat. Aliud enim est corpus calore extentum, aliud igne confectum. Quare nescio an et supplenda et emendanda sit hunc fere in modum Herculis intestini incendii descriptio:

sanguinis quondam capax
[*nunc torret igne pectus et flamma perit*]
tumidi*que cor* pulmonis arentes fibras
distendit e. q. s.

In transcursu moneo, v. 1223 recte tradi in A: *sanguinem avexit vapor,* in E vitiose sic: *sanguine vexat vapor.* Exempli instar est hic locus sescentorum, ubi emendatam scripturam A praebet, E corruptam.

Eodem remedio multis tragoediarum locis F. Leo felici eventu usus est, quamquam est, ubi levior medela praesto sit, velut loco supra (p. 20) tractato et alibi. Sic Troad. v. 1042 sqq., ubi haec sunt tradita:

Solvet hunc questum lacrimasque nostras
sparget huc illuc agitata classis
et tuba iussi dare vela nautae
cum simul ventis properante remo
prenderint altum fugietque litus.

Tale putat F. Leo post v. 1043 desiderari sententiae supplementum: *[caede cum pontus fuerit piatus],* non ad hoc animum advertens, alienam esse captivarum animis eam cogitationem, invisis hostibus aliquam a deis parari posse veniam. Facile autem tollitur structurae durities particulis v. 1044 sq. incipientibus inter se commutatis. Sic enim recto ordine sententiae decurrunt:

Solvet hunc questum lacrimasque nostras
sparget huc illuc agitata classis,
cum tuba iussi dare vela nautae
et simul ventis properante remo
prenderint altum fugietque litus.

Sed de hoc genere corruptelae hactenus.

Caput III.

B. De versuum ordine turbato.

Exemplis huius vitii supra pp. 7 et 13 propositis haec addo nova: In Troadum cantico v. 814 sq. captivae in quamlibet hostium regionem, quam Spartam, Argos, Mycenas, Ithacam, utpote in patrias hostium prae ceteris invisorum, abduci se malle profitentur. Atque in locorum recensu poetam nomina tantum non omnia ex Homerico navium catalogo desumpsisse cum alii viderunt, tum R. Peiper accuratius indicavit (Observat. p. 10 sqq.). Idem cum totum carmen versuum vel ordine turbato vel iactura facta pessime defoedatum esse conatus sit demonstrare, F. Leo (I, 202 n. sq.) longe aliter sentiens omnia nimirum praeter unum locum in quo versum excidisse Scaliger viderit, recte decurrere sibi persuasit. Quorum quoniam prorsus assentiri possum neutri, quid mihi statuendum videatur ipsi, breviter indicabo. Atque prima quidem stropha, quae per undecim sapphicos decurrit hendecasyllabos adonio clausos, uno versu excepto (820) nulla nisi Thessaliae loca commemorantur, ut permirum sit, versu modo significato Cretae mentionem fieri. Nam quin Gortynida insequenti versu cum Tricce Thessaliae oppido copulatam cum Gyrtone B 738 commemorata confuderit, vix dubium est, praesertim cum ei quem in servandis Homericis epithetis diligentem fuisse recte Peiper observavit, urbem moenibus circumsaeptam (τειχιόεσσαν) non licuerit parvam appellare. Et recte Leo p. 202: 'Gortynida ut novum nomen post Cretam inseruit.' Nulla igitur ab hac parte defensio parata est commemorationi Cretae v. 820 factae. Eam nullo pacto ferendam esse statuo. Nec ea quae Leo ad recte diiudicandas in hoc poeta geographicas ineptias affert, etsi vera sunt, ad illum versum defendendum valent.

Rectissime monet vir doctus, id quidem cum suae aetatis poetis commune habere tragicum, ut nomina geographica ursurpet de veritate aut ratione securus, id quod multifaria docet exemplorum copia allata. At non eis excusatur huius loci inconcinnitas. Nam eiusmodi sunt allati a Leone errores, ut aut merae scriptoris inscitiae vel neglegentiae tribuendi sint, ut Gortynis pro Gyrtone posita, aut rhetoricae amplificationis studio inserviant. Nam quod a Capharea rupe conspici posse dicitur Lemnos, Chalcedon, Aulis (Ag. 566), quod furiam Mycenis Tantalum iubet animadvertere, quam ferant moleste Isthmus Lerna, Inachus Alpheus Cithaeron illius praesentiam (Thy. 112) et quae sunt similia, ita omnia sunt comparata, ut veritatem consulto poeta mirifice excessisse putandus sit ad animos audientium ipsa rerum portentosa admirabilitate concutiendos. Nec magis quam poetae ipsi, illius aetatis homines a veri et pulchri sensu dudum desuefacti fidem et veritatem rerum curabant. At hoc quidem loco neque erroris coargui poeta potest — an Cretam esse insulam, non Thessaliae pagum vel nesciisse eum vel consulto neglexisse putabis? — neque in locorum nuda enumeratione mirabile quicquam efficere voluit. Nam etsi in sequentibus strophis ea quae cognata sunt consulto nonnumquam separavit, id quod eum fecisse mox videbimus, tamen in prima legitimi rerum et locorum ordinis diligenter curam habuit.

Aliud autem est in prima stropha quod iustam praebeat offensionis materiam. De Mothone oppido sub Pelion montem in Magnesia paeninsula sito haec dicuntur: 'Quae sub Oetaeis latebrosa silvis Misit infestos Troiae ruinis Non semel arcus.' In hoc non id aegre fero, quod Mothonem sub Oeta esse voluit, sed hoc mihi non persuadeo, poetam mythorum peritissimum Herculis arcum non Trachine, sed Mothone arcessi voluisse ad Troiam expugnandam.

Neque egemus ad has ineptias expellendas artificiosa vel Gronovii enuntiatorum distinctione, vel Peiperi ad Philoctetae regnum usque ad Mothonem et Meliboeam pertinens delegantis interpretatione, neque *Ossaeis* pro *Oetaeis* scribentium coniectura, et ipsa ad Mothonem minime apta. Omnia in clara luce ponuntur expulso v. 820 et interpositis v. 816—818 inter v. 822 et 823.

Non semel v. 825 cum adiectivo *infestos* coniungenda esse post Delrionem monuit Peiper. Mothonen quo iure levibus rivis frequentem poeta dixerit, quoniam nemo adhuc explicavit, doceat Bursian I, 102 coll. Scyl. perioch. 65, Strab. VIII p. 436.

Versum ex hac stropha depulsum, utrum interpolator vetus ex B 649 (*ἄλλοι ϑ' οἳ Κρήτην ἑκατόμπυλον ἀμφενέμοντο*) finxerit (non tamen potuit v. 839 dittographiam ad v. 840, id quod Leonem p. 202 n. contendere miror), an ex alio cantici loco huc per errorem sit delatus, forsitan dubitari poterit. Tamen cum ipse nihil habeat quod dubitationem moveat, hoc probabilius est. Et circumspicienti, ubi olim extitisse credi possit, unus occurrit locus isque apprime aptus post v. 836. Qui quamquam in strophae initio positus, cum pro altero sit eius quae v. 829 sq. legitur interrogationis membro accipiendus (a priore molesta quidem parenthesi seiuncto), cumque sequens versus (v. 837) idem ab interrogativa particula incipiat, versus ille cui amissam patriam recuperare studemus, hoc loco interpositus cum v. 820 prius efficit novae interrogationis membrum:

Vrbibus centum spatiosa Crete,
an premens litus maris inquieti
semper Euripo properante Chalcis?

quo fit, ut Creta Euboeae apte opponatur.

Iam cetera videamus. In quibus tametsi certum est, ea quae rerum et locorum natura cohaerent mirum in modum a poeta esse discerpta, tamen quin consulto rem ita instituerit nullus dubito. Homericum enim descriptionis ordinem quisquis cum ordine quem in Troadum cantico poeta secutus est diligenter comparaverit, Leoni assentietur statuenti, operam dedisse poetam, ut pristinum Boeotiae ordinem prorsus turbaret. Nam et incipit ab ea parte, quam in fine catalogi uberrime exposuit vetus Iliadis interpolator, et singula huius descriptionis loca ordine plus minusve immutato profert, multa omittit, non nulla addit. Neque voluisse eum in medio quidem carmine certum quendam ordinem geographicum sequi, ostendunt diversa regionum loca eodem versu vel plurium complexu ita copulata, ut separari nullo artificio possint. Maxime autem in Thessaliae regionibus adumbrandis fraudis dissimulandae studiosus fuit. Quo factum est, ut ampliore eius provinciae parte in prima stropha descripta, ceteras partes diversis deinceps locis interponeret.

Tertiae strophae vv. 836—843 nihil habent offensionis, nam Peparethon ex Sophoclis Philocteta desumptam quin Seneca cum Sophoclis scholiasta pro Atticae pago habuerit, procul dubio est (Leo l. c., ac ne Peiperum quidem fieri id potuisse fugit), ut non sit quod de scriptura dubitemus. In sequentibus tamen gravis patet corruptela, nam mutata subito interrogationum structura, ita pro nominativis ponuntur accusativi, ut unde pendeant dispici omnino nequeat. Quam difficultatem quomodo probabiliter expediam non habeo. Maioris tamen partis cantici et ordine et scriptura acquiesco tali:

Quae vocat sedes habitanda captas?
815 Thessali montes et opaca Tempe,
819 an maris vasti domitrix Iolcos?
821 parva Gortynis sterilisque Tricce

822 an *(ac?)* frequens rivis levibus Mothone? (.)
816 an viros tellus dare militares
aptior Phthie meliorque fetu
fortis armenti lapidosa Trachin.
823 quae sub Oetaeis latebrosa silvis
misit infestos Troiae ruinis
825 non semel arcus?

Olenos tectis habitata raris,
virgini Pleuron inimica divae,
an maris lati sinuosa Troezen?
Pelion regnum Prothoi superbum
830 tertius caeli gradus? (hic recumbens
montis exesi spatiosus antro
iam trucis Chiron pueri magister,
tinulas plectro feriente chordas,
tunc quoque ingentes acuebat iras
835 bella canendo)

836 An ferax varii lapidis Carystos?
820 urbibus centum spatiosa Crete,
837 an premens litus maris inquieti
semper Euripo properante Chalcis?
quolibet vento faciles Calydnae,
840 an carens numquam Gonoessa vento
quaeque formidat Borean Enispe?
Attica pendens Peparethos ora,
an sacris gaudens tacitis Eleusin?

In Herculis Oetaei cantico v. 1031 sqq. quo chorus Orphei artem celebrat vel inferos sonorum dulcedine delinientis et flectentis, cum alia vitiose tradita sunt, tum hi versus (1079 sqq.):

sic cum inquirens (sic E, linqueret A) inferos
Orpheus carmina funderet (sic E, fundens A)
et vinci lapis improbus
et vatem potuit sequi,
consumptos iterum deae
supplent Eurydices colus.

Corruptelam sincere reddit E, interpolatione oblimavit A. Non enim Eurydice ad vitam revocatur cum iam linqueret Orpheus inferos, sed tum demum vates ex orco discedit, cum desiderata coniunx vitae reddita est. Accedit v. 1080 perperam ad similitudinem v. 1060 refictus, qui quidem ut ferri omnino possit, cum in clausula positus sit, aliquam excusationem habet. Hoc autem postulat sententia, ita flexos carminum vi esse inferorum deos, ut voto vatis cederent. Quare nescio an scriptum fuerit:

Sic cum *vinceret* inferos
Orpheus carmin*e* fund*itus*
(vel cum Bentleio: carmina *dividens*)

vel etiam sic:

Sic cum *quaereret* inferos
O. carmin*e* *flectere,*
consumptos iterum deae
supplent Eurydices colus.

Nam quod Peiper ex Boetio l. III c. 12, 21 repetendum sibi putavit ʻcarmina *temperans*ʼ, vereor ut latinum sit, quoniam modos vel citharam temperare aliquis recte dicitur, carmina temperare non item. Neque Boetius hunc cantum ita in usum suum convertit, ut multa immutata reciperet; imo pauca ad verbum repetiit, plurima variavit. Ceterum conicio loco allato eum scripsisse: chord*as* carmin*e* temperans.

Qui intercedunt v. 1081 sq. de Sisyphi, ut recte monuit Gronovius, lapide loquentes, hic falso loco legi et coniungendos esse cum eis quae antecedunt, res ipsa postulat. Quare vel cum Peipero post v. 1071 inserendi sunt vel post v. 1078. Ordinem etiam concinniorem habebimus versibus 1072—74, quorum primus a Birtio scite emendatus est, ante 1079 collocatis. Ita enim recte procedit oratio, ut a delinitis vatis carminibus damnatorum laboribus ad Orci satellitem, inde ad ipsos infernae sedis deos ascendat. Totius igitur loci imaginem in ordinem redacti, nisi malueris neglegentiae et socordiae poetae ea quoque tribuere, quae facili emendatione conciliari possunt, hanc fuisse putabis:

1068 haesit non stabilis rota
victo languida turbine,
increvit Tityi iecur,
1071 dum cantu volucres tenet,
1081 et vinci lapis improbus
1082 et vatem potuit sequi.
1075 tunc primum Phrygius senex
undis stantibus immemor
excessit rabidam sitim
1078 nec pomis adhibet manus.
1072 au*dis tu* (Audito *codd.*) quoque navita:
inferni ratis aequoris
1074 nullo remigio venit.
1079 Sic cum *vin*ceret inferos
1080 Orpheus carmin*e* fun*ditus,*
1083 consumptos iterum deae
supplent Eurydices colus.

Idem Birtius, qui v. 1072 supra allatum feliciter emendavit, in v. 1099 vitium latere primus perspexit. In eo autem est summa huius carminis, ut nemini non moriendum esse confirmetur:

1097 Nulli non avidi colus
Parcas stamina nectere.
Quod natum est *poterit* mori.

Belle nimirum se haberet, si cui ut nasceretur contigit, mori idem posset quidem, non deberet. Quod Birtius restituit — quem secutus est Leo — 'quod natum est, *quod erit,* mori', commate post *nectere* posito, litteris quidem aptissimum est, sed duram efficit structuram et imminuit sententiae virtutem. Imo v. 1099 pro clausula habendus est cantus Orphei, fortiter complectens eam sententiam, quo omnis redit huius cantici vis, omnibus scilicet esse mortis necessitatem impositam. Scribe igitur: Quod natum est, *opus est* mori. Hoc vere cecinisse vatem Thracium, devictum iubere Herculem.

Phaed. 465—480. Singula leti genera male enumerari post commemoratam universam generis humani internecionem F. Leo cum intellegeret, convenientem sententiarum ordinem ita restituendum censuit, ut v. 475—80 inter v. 465 et 466 interponeret, versu 477 *fata* mutato in *ista.* Sed hoc molestum habet haec dispositio, quod v. 467 fatorum mentio nihil habeat in praecedentibus quo referri possit. Quare praestat eum sequi versuum ordinem, quem olim indicavi:

475 quam varia leti genera mortalem trahunt
476 carpuntque turbam, pontus et ferrum et doli.
466 providit ille maximus mundi parens,
cum tam rapaces cerneret Fati manus,
468 ut damna semper subole repararet nova.
477 Sed fata credas desse: sic atram Styga
iam petimus ultro — caelibem vitam probet
sterilis iuventus: hoc erit quidquid vides,
480 unius aevi turba et in semet ruet.
469 excedat agedum rebus humanis Venus,
470 quae supplet ac restituit exhaustum genus:
orbis iacebit squalido turpis situ,
vacuum sine ullis *piscibus* stabit mare
alesque caelo derit et silvis fera,
solis et aer pervius ventis erit.

v. 473 *piscibus* recte restituit pro '*classibus*' Leo, eadem emendatione etiam a Bentleio inventa.

Vt hoc loco sic etiam in cantico polymetro v. 736 sqq. v. 753—760 post v. 819 recte olim a me collocatos esse nunc quoque mihi persuasum est. Nam artissimo sententiarum vinculo cohaeret cohortatio v. 758—60 expressa (ne vultus nimium suspicias tuos) cum finali sententia. raris formam viris impunitam fuisse. Commendatur autem haec versuum dispositio copulatis denuo numeris, qui turbato versuum ordine male dirempti erant.

Oedipi versus 634—641 pessime turbati non dubium est quin sic sint in ordinem redigendi:

sed rex cruentus (sc. patriae nocet), pretia qui saevi necis
635 sceptra et nefandos occupat thalamos patris
638 egitque in ortus semet et matri impios
fetus regessit quique, vix mos est feris,
640 fratres sibi ipse genuit — implicitum malum
magisque monstrum Sphinge perplexum sua.

636 invisa proles: sed tamen peior parens
quam natus, utero rursus infausto gravis.

Hoc quidem fateor, verba *invisa proles* hoc loco posita ad fratres quos rex ipse sibi genuit (v. 640), referenda videri, sed primo tantum obtutu, nam quod statim addit Laii umbra, peiorem tamen esse parentem i. e. matrem filio, ilico omnem dubitationem tollit. Multo levior igitur est haec difficultas ac paene nulla, quam quae v. 638 sqq. cum 637 coniunctis oritur, quo fit, ut de matre referantur quae de filio dicenda sunt, quae orationis obscuritas tanta est, ut nullis possit mutati subiecti exemplis ullo modo excusari. Quae sequuntur furentis umbrae verba:

te, te, cruenta sceptra qui dextra geris,
te pater inultus urbe cum tota petam
et mecum Erinyn pronubam thalami traham,
traham sonantes (E sonantis) verbera, incestam domum
vertam et penates impio Marte obteram

in eis vexavit interpretes illud *sonantes verbera*. Gronovius proposuit sonan*tem*, N. Heinsius: *torta in*sonantes, de Wilamovitz: *silentes,* verber*e*, R. Peiper: *torvam* sonante*m* (coll. v. 590), ipse conieceram: traham *sorores* verber*e*, sed nescio an ferri possint verba tradita, dum poetam illis furias significare voluisse statuere liceat. Ac sane furiarum esse verbera minari, verbere castigare, nota res est. Quo verberant flagello, sunt angues capillis intorti vel manibus iaculorum more vibrati. Verbera sonant i. e. viperas sonantes quatiunt. Cf. Ov. Met. IV, 491 de Tisiphone: Caesariem excussit. Motae sonuere colubrae — Sibila dant saniemque vomunt linguasque coruscant. De eadem Verg. A. VI, 569: Continuo sontis ultrix accincta flagello Tisiphone quatit insultans torvosque sinistra Intentans anguis vocat agmina saeva sororum. Thy. 96: Quid ora terres verbere et tortos ferox minaris angues? Et supra 590: tum torva Erinys sonuit.

Agam. 310—325. De hoc loco rectius constituendo olim disputavi Mus. Rhen. XVIII, 40 sqq., vera falsis miscens. Quae nunc recolere non est in animo. Ac locum iterum atque iterum retractanti non id quidem contigit, ut talem qualis est in codicibus traditus penitus intellegerem, hoc tamen assequerer, ut faciliorem quam antea emendandi viam invenisse mihi viderer. Nam quod nullo modo ferendum esse Leo quoque concessit, Thebanam pubem bis invitari ad choros comitandos et ita quidem, ut quasi diversae inducantur (v. 316. v. 320 sq.), id excogitavi tolli posse, dum v. 316 loco verborum *Thebais hospes* restituatur: Thes*pias* hospes. Ad Apollinis laudes canendas praeter Thebanas etiam Thespienses virgines aptissime invitari consentaneum est. Thespiis enim, quas vetus poeta bellorum Persicorum aetate choris florentem appellat (Steph. Byz.: *καὶ ἐπίγραμμα τῶν ἀναιρεθέντων ὑπὸ τῶν Περσῶν. ἦν δὲ Φιλιάδου Μεγαρέως· ἄνδρες τοί ποτ᾽ ἔναιον ὑπὸ κροτάφοις Ἑλικῶνος λήματι τῶν αὔχει Θεσπιὰς εὐρύχορος*), cum Cupidinis (quod hic nihil attinet) tum vero Musarum cultu insignes fuisse atque monumenta ludorumque et certaminum sollemnitates sacro Apollinis choro instituisse, scriptores et tituli testantur. cf. Pausaniam 31,3 et hos titulos ad Musarum sacra Thespiensia spectantes C. I. G. 1585. 1586. 1590. 1631. At dixerit aliquis, loco sic disposito ea quae vel regionum vicinitate vel stirpis necessitudine iungenda sint divelli, copulari quae tali vinculo careant. Incipi enim enumerationem ab Argivis (Stirps Inachia), transire ad Thespias Boeotiae urbem, tum ad Erasini accolas, sive Arcades sive Argivos interpretari malueris, inde ad Spartanos, denique ad Boeotiam redire

Thebanis advocatis. Molesta sane Boeotiae civitatum separata commemoratio. Molestior esset, si Erasini accolae recte a Bothio pro Mycenaeis accepti essent. Tum enim tres illas urbes Iunoni prae ceteris gratas, Argos nimirum, Mycenas, Spartam. Δ, 52) coniungere voluisse dixeris poetam recteque Bothium cum Strabone Erasinum cum Inacho coniunxisse interpositis v. 316—17 inter v. 321 et 322. At Erasinos in diversis Graeciae regionibus fuisse constat (Mus. Rh. l. c.) neque demonstrari potest, poetam alium aliquem praeter Argivum significare noluisse. Perpendas etiam Bothiana ista versuum dispositione recepta quam Leo amplexus est, quam dura evadat et contorta periodi conformatio: quaeque — bibis Ismenon, tu quoque nostros, Thebais hospes, comitare choros. Mea coniectura, si vera esse censebitur, poeta suam in geographicis nominibus proferendis licentiam (cf. quae supra p. 25 disputavimus) secutus, sed dilucida oratione usus esse iudicabitur. Videant alii uter versuum ordo magis arrideat, Bothianus an hic:

Canite o pubes inclita Phoebum!
    tibi festa caput
turba coronat, tibi virgineas
    laurum quatiens,
de more comas innuba fudit
    stirps Inachia.
tu quoque nostros, The*spia*s hospes,
    comitare choros.
quaeque Erasini gelidos fontes
    quaeque Eurotan
quaeque virenti tacitum ripa
    bibis Ismenon,
quam fatorum praescia Manto
    sata Tiresia,
Latonigenas monuit sacris
    celebrare deos.

Caput IV.

C. Verborum corruptelae quaedam emendantur.

Troades 203 sqq. Locum ineptiis interpolatoris pessime defoedatum dudum ope Florentini codicis emendavit Gronovius, ut sic legatur in omnibus post eum editis:

Cum laeta pelago vela rediturus dares,
excidit Achilles cuius unius manu
impulsa Troia, quidquid adiecit morae
illo remoto, dubia quo caderet stetit.

Vera est Gronovii interpretatio: 'cuius manu in occiso Hectore labefactata Troia quicquid superfuit post mortem Achillis (hoc enim est: illo remoto) non stetit firma et nixa vestigiis suis, sed extraxit breve momentum titubando, dubitando et quasi deliberando, quam in par-

tem procumberet', nisi quod illud *adiecit* subtilius quam verius explicavit. Quidquid enim morae post Achillem mortuum urbi excidio destinatae superfuit, id non ipsa adiecit, sed fortunae munere ei condonatum est. Quare scribendum est:

quicquid *accessit* morae
illo remoto, dubia quo caderet stetit.

Troad. 766—770. Haec sunt Andromachae de destitutis quae de Astyanacte filiolo conceperat votis coram Vlixe conquerentis:

O dulce pignus, o decus lapsae domus
summumque Troiae funus, o Danaum timor,
genetricis o spes vana, cui demens ego
laudes parentis bellicas, annos avi
medios precabar, vota destituit deus,

Medios annos inepte eam precatam esse quis est quin sentiat? Recte igitur F. Leo corruptelae signum addidit; coniecturam proposuit hanc: *toties* precabar. Ego coniectaveram: *divos* precabar, sed dubito an mutatus sine causa numerus (divos deus) ferri possit. Iterata meditatione in mentem mihi venit, elegantem fore hoc loco vocabuli *demens* repetitionem, in qua optime destitutae expectationis dolor exprimitur:

cui *demens* ego
laudes parentis bellicas, annos avi
demens precabar e. q. s.

Rhetoricae repetitionis poetae maxime adamatae exempla habes apud Smithium p. 81 sqq.

Troad. 632 sq. Verba Andromachae, se metu terreri non posse coram Vlixe affirmantis sic sunt tradita:

Vtinam timerem. solitus ex longo est metus:
dediscit animus *sicre* (E, *sero* A) quod didicit diu.

Interpolatorem veterem corruptelam obliterasse, non sanasse patet. Non hoc dicit Andromache, sero dediscere animum quod diu didicerit, sed dediscere omnino. Ocius an serius, non attinet. Adeo dudum timori adsuevi, ut timere non iam possim. Fieri nimirum longa timoris et periculi consuetudine, ut timere et metuere omnino dediscamus. Vnde sequitur, in corrupto vocabulo adverbium latere rem ut vulgo notam denotans. Id non assecutus est F. Leo, qui scripsit '*saepe*' neque id confirmatur eis quae I, 9 n. 9 dicit, sententia tamen recte explicata. Quod Birtius proponit '*facere*' nihil addit sententiae necessarium; possis cogitare de adverbio *facile,* quod ad idem prope rediret atque Leonis coniectura. Mihi, quamquam non ad litteras traditas, tamen ad colorem sententiae multo aptius videtur *nempe* particula

dediscit animus *nempe* quod didicit diu

Eiusdem haec leguntur verba ad Vlixem data v. 787 sq.:

Lacrimis, Vlixe, parva quam petimus mora est.
Concede *paucas* (sic E, parvos A) ut mea condam manu
viventis oculos.

Paucas lacrimas concedi inepte dicitur, nam quis lacrimas numerat? Coniecerunt commate post imperativum posito vel *pavidos* (vel *patulos* vel *apertos*), ut N. Heinsius, vel *opacos,* ut Peiper, vel

immutata distinctione *precibus,* ut Bentleius. Mihi persuasissimum est, poetam scripsisse:

Concede *patiens,* ut mea condam manu
viventis oculos,

quemadmodum Andromache v. 694 precata erat:

miserere matris et preces placidus pias
patiensque recipe.

Med. 19 sqq. Medea deas sceleris ultrices invocat ad Iasonis perfidiam ulciscendam:

adeste, thalamis horridae quondam meis
quales stetistis: coniugi letum novae
letumque socero et regiae stirpi date

Quid vero diri sceleris auctori imprecetur ipsi, sic indicat, si codicibus fides habenda est:

mihi peius aliquid, quod precer sponso malum,
vivat.

Id sic interpretatur Gruterus, ut 'est' suppleat, 'quod ad Iasonem spectet; non indigere se opera furiarum, esse enim sibi ad manum, quod ei imprecetur omni malo peius.' Sed cum prius membrum sententiae bipartitae a dativo incipiat, qui ab imperativo pendet (coniugi — date), posterius idem a dativo exordiatur, praedicato autem careat, postulare videtur lex orationis, ut ad alterum dativum verbum ex priore membro intellegatur: 'Coniugi letum date, mihi date peius aliquid.' Hac, nisi fallor, difficultate commotus est F. Leo, ut finali distinctione post 'date' posita in sequenti versu pro *malum* scriberet *manet:*

letumque socero et regiae stirpi date.
mihi peius aliquid, quod precor sponso ma*net:*
vivat.

Haec emendatio aptam reddit sententiam, non tamen eiusmodi est, ut aliter oratio stare nequeat. Totus autem contextus versuum inde a v. 14 ad invocatas spectat furias. Quo fit ut in pronomine vitiumlatere suspiceris. Nescio an sic evadat sententia rhetorico huius loci colori magis conveniens:

letumque socero et regiae stirpi date,
date peius aliquid, quod precer sponso malum.

'Mihi' e glossa ortum. Simillimus est Phoenissarum locus v. 450: dexteras matri *date, Date* dum piae sunt. cf. etiam Med. 299: sacra me thalami *vocant Vocat* precari festus Hymenaeo dies. Oed. 644: et mecum Erinyn pronubam thalami *traham, Traham* sonantes verbere. Quae Smithius addere debuit exemplis de epanastrophae figura p. 79 congestis.

Med. 194. 195. Medea a Creonte propere in exilium abire iussa quaerit, quod tandem crimen aut quam culpam exilio multandam censeat. Respondet rex, sic quaerere nemini licere nisi innocenti. Contra dicit Medea: 'Si iudicas, cognosce, si regnas, iube,' cui Creo: 'Aequum atque iniquum regis imperium feras.' Sic codices. Leo ita locum emendandum duxit, ut versu 194 inter Creontem et Medeam sic diviso:

M. Si iudicas cognosce. Cr. Si regnas iube

versum proximum ut spurium deleret. At recte se habet traditus ordo. Medea distinguit inter iudiciariam regis potestatem et ipsum ius imperii. In iudicando, inquit, opus est cognitione, in regnando, i. e. in administranda re p., imperio. Creo hanc distinctionem nihili faciens respondet, regis simpliciter esse imperare, subditorum obedire, sive aequa sive iniqua sint imperia.

Medea de Argonautis sua ope ab interitu servatis glorians in eorum numero Orpheum quoque et Iovis iuvenes recenset:

munus est Orpheus meum,
qui saxa cantu mulcet et silvas trahit;
geminumque *munus* Castor et Pollux meum est.

Non erat quod cum D. Heinsio F. Leo scriberet: ʻgemin*i*que munus C. et P. m. e.' Nam id ipsum indicare videtur tradita scriptura hypallages figura. Nec tamen dubius sum, quin poeta scripserit:

geminumque *numen* Castor et Pollux meum est (sc. munus).

Sic v. 700 Letoidas gemina numina vocat: lacessere ausus gemina Python numina.

Ibd. v. 318: Ausus Tiphys pandere vasto
carbasa ponto
legesque novas scribere *ventis*.

Ventis leges scribere i. e. ventos imperio domare. Tamen quas deinde leges poeta affert — lina sinu toto tendere, prolato pede notos captare, antennas modo medio malo ponere, modo in supremo religare — eas patet non ventis sed ipsis nautis scribi. Quare aut ratiocinatio me fallit aut scribendum est:

legesque novas scribere *nautis*.

Opponitur autem navigationi praeter oras tantum et litora ante factae navigatio transmarina quam Tiphys auspicatus est. Cf. infra v. 331: sua quisque piger litora tangens. Phaed. 530: nondum secabant credulae pontum rates: Sua quisque norat maria.

Ibid. 407—414. Medea ad vindictam properans nullam posse naturae violentiam cum suo odio et furore comparari explicat hisce versibus:

quae ferarum immanitas,
quae Scylla, quae Charybdis Ausonium mare
Siculumque sorbens quaeve anhelantem premens
Titana tantis Aetna *fervebit* minis?
non rapidus amnis, non procellosum mare
pontusve coro saevus aut vis ignium
adiuta flatu possit *inhibere* impetum
irasque nostras: sternam et evertam omnia.

Duarum vocum cursivis litteris impressarum priore offendit Madvigius, posteriore F. Leo, utramque sanam esse et sententiae convenientem ego statuo. Ac Madvigio scrupulum movit tempus futurum, cum Medea futurum suum furorem non cum aliis futuris rebus, sed cum iis quae unquam fuerint cognitaeque sint vehementissimae, comparare debeat. At hoc indicat Medea, ne Scyllam quidem et Charybdim, non Aetnam, si velint certare cum spretae mulieris crescenti furore, eius vim esse aequiperatura. Ceterum quod proposuit Madvigius: ʻ*ferbuit* minis,' id vitio laborat metrico, nam in quinta sede iambum constat Senecam non admisisse nisi perpaucis exemplis quibus omnibus singularis natura est (B. Schmidt De emend. Senecae trag. rationibus pros. et metr. p. 53 sq. Luc. Mueller de metris poet. lat. p. 149, ego de Sen. trag. auct. p. 16 n. 2); de quibus utcumque iudicium tibi erit, id certe concedes, hunc pedem e coniectura non intrudi debere poetae, id quod Madvigius etiam v. 515 praetermisit. Pergit Medea, non rapidum amnem neque aliam quandam

vim *inhibere* posse suum impetum suasque iras, ut hic sit sententiarum ordo: Meam iram nulla vis externa aequabit, nedum inhibebit (inhibebit, ne aequabit quidem). Quare non erat quod Leo sic corrigenda putaret tradita verba, ut scriberet: *imitari* impetum.

Phaed. 761 sqq. Chorus hanc sententiam explicaturus, formam hominibus anceps esse bonum remque fugacem, incipit a similitudine a rerum natura repetita:

Non sic prata novo vere decentia (A: vere novo pr. d.)
aestatis calidae despoliat vapor,
saevit solstitio cum medius dies
et noctes brevibus praecipitant rotis (praecipitat codd., corr. Gronov.)

Hi versus ad ea quae praecedunt referendi sint quaeritur, an ad sequentia. Cum illis si coniuncta putamus, haec est sententia: Velociter labitur forma hominibus. Non minus velociter quam pratis florum nitor et varietas colorum plena. Sic sane coniungere licet. Nihil tamen impedit, ne v. 764 — 68 prodosin accipiamus comparativae cuiusdam periodi, si ea quae sequuntur aptam efficiunt apodosin. Sequuntur autem hi versus:

languescunt folio *ut* (ut *om.* A.) lilia pallido
et gratae capiti deficiunt comae (rosae A)

Hoc alterum comparationis membrum non esse patet. Non enim flores cum floribus comparantur, sed velox florum defectus cum celeri formae humanae interitu. Ad hanc rem certissimum est spectare v. 770—72:

ut fulgor teneris qui radiat genis
momento rapitur nullaque non dies
formosi spolium corporis abstulit.

Neque minus dubium est, quin v. 769 (et — comae) huius comparationis pars sit. Legitimus ordo restituitur permutatis in utroque versu particulis:

ut gratae capiti deficiunt comae
et fulgor teneris e. q. s.

At incommodo est versus proxime antecedens, inter prodosin et apodosin moleste interpositus. Olim eum removi, sed facile cum prodosi coalescet, itidem particula *ut* in *et* mutata. Iam novum accedit temporis aestivi indicium: cum dies longissimi sunt et lilia languescunt:

Non sic prata novo vere decentia
aestatis calidae despoliat vapor,
saevit solstitio cum medius dies
et noctes brevibus praecipitant rotis
languescunt folio *et* lilia pallido:
ut gratae capiti deficiunt comae
et fulgor teneris e. q. s.

Alteram, quam supra significavimus, verba construendi viam ingressus est Leo, qui vv. 764—67 ad praecedentia relatis novam comparationem incipi statuit a. v. 768, distinctione plena post v. 767 (rotis) posita. Sic evadit v. 768 nova periodus, cuius prodosis hoc uno versu continetur, apodosis incipit a sequenti, mutata tantum *ut* in *et* particula. Quae dispositio quamquam ferri potest aliquo modo, tamen neque concinna est neque omni obscuritate vacat propter *et* particulam duobus deinceps versibus diverso sensu accipiendam.

Restat ut iudicium feram de vulgaris recensionis varia lectione supra enotata. Aperta prae se fert correctoris operae vestigia. Qui cum orationem parum quadrare intellegeret, suo more

id posuit, quod primo obtutu videretur medelam afferre, nulla subtiliore sententiarum examinatione adhibita, deleta nimirum in v. 768 particula comparativa et proximo versu rosis comarum loco substitutis; voluit igitur utrumque versum cum prodosi coniungi et apodosin demum a v. 770 incipi. Nec hercle conatus feliciter ei cessit. Nam et structurae concinnitatem turbavit exaggerato priore comparationis membro, extenuato posteriore, et id fugientis venustatis signum delevit, quod maxime proprium est aetati in peius propensae. Neque apte dicuntur rosae aestivo tempore deficere, quarum flos et copia tum maxime viget. Grata autem et apta capillorum aetate deficientium cum florum autumno vel hieme senescentium comparatio. Cf. Horat. Ep. I, 7, 25: quodsi me noles umquam discedere, reddes Forte latus, reddes angusta fronte capillos. Ovid.: raptique aetate capilli Vt borea frondes excutiente cadunt. Petron. Sat. 109: cecidere capilli Vernantesque comas tristis abegit hiems. Alio sensu, sed eadem locutione Hor. c. IV, 10: et quae nunc humeris involitant, deciderint comae.

Ibid. 1204 sqq.:

Nunc adeste saeva ponti monstra, nunc vastum *mare*
ultimo quodcumque Proteus aequorum abscendit sinu,
meque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites.

Sententia relativa non potest non referri ad mare, quod adesse iubetur ipsum cum monstris suis. At hoc, quamquam defendi videtur versu 958, tamen absurdum est. Non enim ipsa maria abscondit Proteus, sed immania Neptuni 'Armenta et turpis pascit sub gurgite phocas' (Verg. G. IV, 395). Sunt ipsa ponti monstra, quae rex a Proteo in semet emitti vult, quemadmodum regina v. 1159 sq. precata erat:

Me me profundi saeve dominator freti,
invade et in me monstra caerulei maris
emitte, quicquid intimo Tethys sinu
extrema gestat e. q. s.

et Theseus ipse 957:

effunde pontum, vulgus aequoreum cie
fluctusque ab imo tumidus oceano voca.

Quare proximum vero videtur, poetam scripsisse:

Nunc adeste saeva ponti monstra, nunc vastum *pecus*
ultimo quodcumque Pr. e. q. s.

Cf. Horat. c. I, 2, 5 sq.: Terruit gentes, grave ne rediret Saeculum Pyrrhae nova monstra questae, Omne cum *Proteus pecus* egit altos Visere montes. Alia ratio est Nerei aequora fundo cientis (Verg. A. II, 419). Vix est quod moneam, non posse v. 1205 pro tertio quodam invocationis membro accipi, quasi dicere Th. voluerit 'nunc etiam adsit quodc.' Id vetat omissa particula, quae in tripertito enuntiato anaphorico non debuit omitti. — *Mare* non ex *pecus* corruptum, sed perditae nescio quo casu verae vocis supplementum inepte excogitatum vel ex v. 957 refictum.

Oed. 135 sqq. sic scribendos et distinguendos censeo:

colla tacturus steterat sacerdos:
dum manus certum parat alta vulnus,
aureo taurus rutilante cornu
labitur segnis; patuit sub ictu
ponderis vasti resoluta cervix:

nec cruor ferrum maculavit, *al*ta (atra *codd.*)
turpis *est* (turpi se E turpis e A) plaga sanies profusa (est *add.* A).

Quod Leo edidit: 'nec cruor, ferrum maculavit atra t. e. p. s. profusa' disciplicet propter incommodam verborum collocationem, asyndeton enim postulat opposita iuxta se posita (nec cruor, sanies ferrum maculavit). Repetenda est emendatio ex Lucano, qui Senecae locum sic circumscripsit Phars. I, 614:

Nec cruor emicuit solitus: sed *volnere largo*
diffusum rutilos *dirum* pro sanguine *virus*.

Et v. 345 Seneca ipse:

Vtrum citatus vulnere angusto micat,
an lentus *altas* irrigat plagas cruor?

in lectione Etrusci: *turpi se* latere: *turpis est*, Peiper monuit.

Versuum ordinem in hac descriptionis parte turbatum sic restitui posse puto:

133—134 (prima — herbas)
146—148 (taurus — iuvencos)
145 (incubant — relictae)
135—144 (colla — armo)
149—153 (non lupos — veneno)

Oed. 875 sq. saeculi crimen vagor,
odium deorum, iuris exitium sacri,
qua luce primum spiritus hausi rudes
iam morte dignus.

Hoc igitur dicit, nunc demum totius immanitatis scelerum a se inscio perpetratorum se conscium esse factum, inde a prima vitae luce deis se exosum fuisse. Iam flagrat desiderio, tanta flagitia tandem aliquando expiandi supplicio quodam voluntario. Ita pergit:

redde nunc *animos acres* (*parens* A),
nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.

Interpolator suo more vitium vitio obtexit. Parentem non potest invocare Oedipus, reliqua sententia non item ad eundem relata. N. Heinsius coniecit: animos *pares,* scilicet eos quibus illa scelera perpetrasti; at inscius perpetravit neque, si Laii caedem exceperis, ulla animi ferocitate abreptus; Buechelerus: a. *feros* vel *truces* quod eodem fere redit. Id vero debent significare regis verba, ut seram aliquando poscat poenam. Quare tale quid traditis verbis latere suspicor:

redde nunc *tandem vices*

vel etiam: redde nunc, anim*e*, *has vices* (i. e. horum scelerum poenas.) Animum adpellat ut v. 952: cunctaris anime?

Quas deinde poenas sibi irrogaverit, nuntii narratione (915—979) edocemur, ubi v. 956 egregia Madvigii coniectura Leonisque invento non minus ingenioso pulcherrime emendatus est: *di* (codd.: hi) maritales, *satin? (statim* codd. cum sequentibus coniunctum). Addo quae ad tollenda in proximis vitia addenda sunt. Nam et v. 959 dittographia est non ferenda verborum v. 962 sq. (at contra — steterunt) et *eruentis* v. 961 inepte dictum est de eo qui in eo est ut eruat. Quare scribas expulso v. 959:

958 ardent minaces igne truculento genae,
960 violentus audax vultus, iratus ferox

tantum *fur*entis; gemuit et dirum fremens
manus in ora torsit.

Possis etiam: tantum *min*antis, vel: tantum *vov*entis.

Thyestes 59 sqq.: ignibus iam subditis
spument aena, membra per partes eant
discerpta, *patrios* polluat sanguis focos e. q. s.

patrii foci sunt patris. At patrui i. e. Atrei focos vult Furia fratris filiorum sanguine pollui. Scribe igitur: *patruos* polluat s. f. Cf. Hor. c. III. 12, 2: patruae verbera linguae; alia.

Ibid. 671 sqq.: errat antiquis vetus
emissa bustis turba et insultant loco
maiora notis monstra; quin *tota* solat
micare silva flamma, et excelsae trabes
ardent sine igne.

Scribendum *tac*ita (vel t*ec*ta). In eo nimirum vis cernitur miraculi, ut ardeat silva sine flammis. Quemadmodum sine igne ardent trabes, sic silva micat obtectis vel opertis flammis.

HO. 123—130 sic scribendos censeo:
stamus, nec patriis messibus heu locus,
*s*et silvis dabitur lapsaque sordidae
fient templa casae; iam gelidus Dolops
hac ducat pecudes qua tepet obrutus
stratae qui superest Oechaliae cinis.
illo Thessalico pastor *inops loco* (codd: in oppido)
indocta referens carmina fistula
cantu nostra canet tempora flebili.

Stamus recte interpretatus est Birtius collato v. 353 (nempe cum staret parens i. e. viveret) et *set* pro *et* idem restituit neque ad id refellendum satis idonea sunt quae Tachau Philol. 46, 379 contra dicit; 128 pro *illo* scripsit Leo de coniectura Wilamovitzii *ipso;* me offendit oppidi nondum stantis sed deleti et cinere obruti commemoratio; in pristino oppidi loco, non ipso in oppido pastoris fistula canet.

Ibid. 458: habuere motum saxa, discussi fores;
umbrae stetistis et mea iussi prece
manes locuntur e. q. s.

Birtius coniecit: discussi *arbores*, V*nd*ae stetistis: Leo: discussi *inferos*, Vmbrae st. Mihi scribendum videtur:

discussi fores Vmbr*asque D*itis

i. e. fores regni umbrarum. Cf. 1061 Taenarias fores. 1141 laxabit atri carceris iamiam fores.

